

FRANCISCI TORRENSIS
DE ACTIS VERIS SEXTAE

*Synodi, deque Canonibus, qui eiusdem Sextae
Synodi falso esse feruntur, & de Septi
ma Synodo atque multiplici Octa
ua, ad Reuerendissimum*

Dominum
IOANNEM SALVIATVM
*Episcopum Cardina
lem Liber.*

Florentiae apud Laur. Torrentinum.

M D L I.

FRANCISCI TORRENSIS
DE ACTIS VERIS SEXTAE

*Synodi, deque Canonibus, qui eiusdem Sextae
Synodi falso esse feruntur, & de Septi
ma Synodo atque multiplici Octa
ua, ad Reuerendissimum*

Dominum
IOANNEM SALVIATVM
*Episcopum Cardina
lem Liber.*

Florentiæ apud Laur. Torrentinum.

M D L I.

INDEX locorum principalium libri huius.

<i>Confutatio rationum Alberti Pygij aduersus acta Sextæ Synodi.</i>	pag. 4.
<i>De damnatione hæretici post mortem.</i>	pag. 12.
<i>De damnatione Honorij.</i>	pag. 23.
<i>De tempore canonum. 6. Synodi, & de eorum aprocryphis, & falsis.</i>	pag. 29.
<i>De secundo canone super canonib. Apostolor. & canone Cypriani.</i>	pag. 37.
<i>De 3. canone super continentia sacerdot.</i>	pag. 39.
<i>De canone 13. super calibatu sacri ordinis copiose. ag. 40</i>	
<i>De canone 36 super gradu, & honore patriarchalium sedium.</i>	pag. 64.
<i>De can. 39. super privilegio Iustinianopolitane ecclesie.</i>	pag. 67.
<i>De canone 53. super missa Græcorū in quadrag. pag. 68</i>	
<i>De can. 55. super ieiunio Sabbati.</i>	pag. 69.
<i>De can. 67. super abstinentia a sanguine & suffocato.</i>	pag. 73.
<i>De can. 69. super prohibendis laicis ne ingrediantur ad altaria.</i>	pag. 76.
<i>Canonis 90. explanatio. in eadem pag.</i>	
<i>De concilio Photiano & eius canonib. decem & septem.</i>	pag. 87.
<i>De Concilio octauo Constantinop. Hadriani Pont. & eius canon. viginti septem.</i>	pag. 90.
<i>De Concil. Constan. Ioannis Pont. & canonib. eius. pag. 91</i>	

FRANCISCI TORRENSIS

DE ACTIS VERIS SEXTÆ SYNO-
di, deque Canonibus, qui eiusdem Sextæ Synodi
falso esse feruntur, & de Septima Synodo. atque
multiplici octaua ad Reuerendiss. D.

IOANNEM SALVIATVM
Episcopum Cardina-
lem Liber.



VVM acta, decretaque conciliorum,
SALVIATE, quæ cum omni tempore
legenda sunt, tum hoc maxime, dudū
aliquanto diligentius relegerem, ve-
nissimque ad Sextum, quod Constan-
tinopoli in Trulo habitum est, & ad
Septimum quod Niceæ, simulque me-
minissem, Albertum Pygium magni nominis aucto-
rem, multa doctrina, & peracuto ingenio præditum,
pridem illorum falsitatem non suspicionibus, & conie-
cturis, (vt sibi videbatur) sed certissimis argumentis
coarguisse, volui acrius rem ipsam videre, comparatio-
ne, notatione, & iudicio adhibitis, fecique id eo maio-
re studio, quod plane intelligerem, expertusque essem
nullam fere hæc acta iam quasi cōmentitia, vt Pygius
ait, auctoritatem, fidemque habere, imo vt ex viro in-
tegerrimo, & mihi, amicissimo cognoui, prohibitum
aliquando esse in Germania inferiore, septimum Con-
cilium publice ne venderetur, quo tamen nihil habea-
mus, neque vberius, neque acrius, neque grauius, ne-
que eruditius, neque religiosius, neque sanctius pro sa-
cris simulacris, per signis, pro tabulis, pro picturis san-
ctis. Quæ omnia impuri illi, & scelesti homines Lute-
rani vt nugas rident, & vt scelus detestantur. Scio si
Pygius hoc malum prouidisset, nunquam profecto cō-

mississet, vt pro sententia sua defendenda, & fortasse non vera, & contra amicum vnius tridui studio, vt idē iactat, auctoritatem tam multis sæculis confirmatam labefactaret, præsertim eo tempore, cum ipsa per se cōcilia, & decreta omnia satis iacerent, in iisque locis, quæ eiufmodi accusatoribus abundarent. Mirabarque quorum temeritatem impiam & cæcam, ac tot errorū portentis plenam hic auctor, docte, & grauiter retudisset, & multis libris refellisset inscitiam, iisdem hac cōfutatione præcipiti, & inconsiderata hastas, vt dicitur ministrasset. Sed homo erat, multa alia egit in vita præclare, multa scripsit sapienter, excessit e viuis cum summa lante, Prosequamur eum beneuolentia, & grata memoria. Et quoniam in hoc vno deflexit, multosque fortasse ab his actis legendis & approbandis irata, & cæca sua damnatione retraxisse videtur, illius manes, hoc corrigendo, & lectores admonēdo si possumus adiuuamus. credo nō paucos alios ante me vidisse, quod ego parum acutus sero, aut certe posse omnes, Si velint paulo attētius oculos in eo defigere, res enim ipsa loquitur, & facile manibus teneri potest, Sed cur alii hæctenus dissimularint, neque scio, neque magnopere curo, tantum postulo, vt si ipse quod voluero assecutus fuero, hoc est veritatem specie mendaci occultam retere, & voluisse & perfecisse, ei tribuatur, qui dixit, nihil occultum, quod non reueletur, & de quo solum dici potest, est qui est, hoc est, ipsa veritas. Quoniā vero aliquot ratiunculas adhibet Pygius ad confutanda, Sexti Concilii acta, ad eas prius ordine respondebo. Deinde de canonibus apocryphis, qui esse Sexti Concilii falso feruntur, docebo, postremo de Septimo Cōcilio indicabo, deque octauo multiplici. Primum ergo multis rationibus & exemplis fatiq. copiose docet ad Pontificem cum senatu pertinere cōtrouersias omnes de disciplina Christiana diiudicare, atq. ita professum

fuisse Cōstantinū illum magnū, ac deinceps cōsecutos Imperatores Theodosiū, Marcianū, Iustinianū, quod quidē verissimum est. At in hoc concilio (inquit) cuius sunt acta, quæ circūferuntur, & impugnamus, vt commēticia, imperator cū proceribus aulicis suis plena auctoritate præsidet, & quæ sequuntur, scilicet a sinistra cōfidere legatos pontificis, & episcopos greculos (vt ipse appellat) ad dextrā, tū ipsum Imperatorē in solio sedere regali ornatu, quærere, iubere, decernere, & eo absente, certos quosdā patritios, & cōsules delectos, qui gloriosissimi iudices nominentur. Itaq. ridet illud tā frequēs, gloriosissimi iudices, & sanctū conciliū dixerūt, interpretaturq. id esse iudiciariā auctoritatē sibi arrogare, sæpe. n. mihi eius verbis vtendū est. Certe non arrogasse sibi Imperatorē Cōstantinū eam auctoritatē, neq. eos quos in locū suū substituit, cū abesse illi necessit fuit, ex ea epistola perspici potest, quam is ad Donum Pontificem misit, quam Agatho, qui Dono successit, accepit, qua videlicet legatos cum Episcopis Latinis, quos a Pontifice ad id concilium mitti postulat, siue iudem cum Græcis cōsentiant, siue non, humanissime se eos dimissurū promittit, inuitare enim se posse, vim adhibere non posse. Quis quæso sic loquitur, qui auctoritatem iudicādi sibi tribuat? at cur ais illud repetitur, præsidente Imperatore, & cum is abest, illud, iudicibus patriciis. Profecto neque ille, neque hi iudicio, sed executioni præerant, & ordini, quod est genus quoddam iudiciū, id quod tum ex iis ipsis, quæ in Concilio geruntur, intelligi potest, nihil enim decernunt, aut statuunt de eo, quo de agitur, tum ex literis Agathonis, quæ sunt in. 4. actione. Hæc, inquit, felicibus vestræ mansuetudinis credimus reseruasse temporibus, vt locum & zelum ipsius Domini nostri Iesu Christi, qui vestrum Imperium coronare dignatus est, seruantes in terris pro euangelica & apostolica veritate iultū

» iudicium proferatis. Quia cum humani generis redem-
 » ptor, atque saluator sit iniuriam passus, nunc usque su-
 » stinuit, vestraque fortitudinis aspiravit imperio, ut
 » eius fidei causam, sicut æquitas postulat, & sanctorum
 » patrum, sacrarumque generalium quinque Synodorum decre-
 » vit instructio, exequi dignemini, & redemptoris, ac cor-
 » rectoris iniuriam de suæ fidei contemptoribus per eius
 » præsidium ulciscamini, & quæ sequuntur. Deinde non
 » usurpasse iudicium, quibus potius testibus credendum
 » sit, quam eorum ipsorum vocibus, si, inquit, patres
 » consilii estis, aliquid prætermisum esse in ea diffinitio-
 » ne, quæ a vobis promulgata est, quid clarius? Quod ve-
 » ro a sinistra sedent legati, sicuti etiã in Calcedonensi, an
 » si id arroganter nimis factum est, ut quid est, continuo
 » erunt conficta hæc acta? ergo dicamus conficta esse
 » acta concilii Florentini, quod Imperator Ioannes Pa-
 » læologus in consensu locum medium sibi deberi dice-
 » bat, ut est in eiusdem concilii actis perscriptum, aut quia
 » idem postulabat, ut Pontifex non signaret, vel signa-
 » ret, his subiectis verbis, consentiente ad infra scripta Im-
 » peratore, nec non patriarcharum loca tenentibus, &
 » cæteris orientalem ecclesiam representantibus, atque
 » ipse demum Palæologus supra omnes episcopos Græ-
 » cos signavit. Tum iubebat de hoc disputare, de illo nõ
 » disputare, non amplius de re alia respondere, & alia hu-
 » iusmodi parum moderate transacta, imo imperiosius
 » fortasse, & elatius quam in Sexto concilio de quo agi-
 » tur. eadem fere licet cernere in Octavo concilio Con-
 » stantinopolitano contra Photium habito, in quo Im-
 » perator supra ceteros omnes episcopos præter legatos
 » & Patriarchas tandem non recusavit signare, orator-
 » que eius Vahanes iubet, proponit, excludit, accersit,
 » imo a Donato & Stephano legatis Romanis literas
 » pontificias petiit de ipsorum legatione. Quod insolens
 » factum tametsi ægre ferrent legati, tamen parue-

runt. ecquis ignorat arrogantius esse signum usurpare,
 quam locum? an vero quia hæc sunt ab elatione profe-
 cta omnia, ob eam rem mendacia dicemus hæc acta? nõ
 coarguit historia falsitatem turpitudine rerum gestarum,
 sed aut discrepantia temporum, aut locorum, aut per-
 sonarum, aut denique ipsarum rerum, quæ narratur,
 repugnantia. Quis nescit importunitatem Græcorum,
 & quam multa prudenter Pontificis legati dissimula-
 rent, quæ leuiores esse videbantur, ne in maioribus re-
 bus eorum animos a se alienarent. Equidem etsi pote-
 ram ex aliis, tamen libentius ex Florentino concilio,
 & Constantinopolitano contra Photium habito, huius-
 modi exempla protuli, quod alterum Anastasius, Pala-
 tinæ bibliothecæ magister, qui interfuit summa fide
 interpretatus est, Alterum non multo ante nostram me-
 moriam habitum, nõ solum Græce tunc scriptum est,
 - sed Latine. Sequitur secunda ratio. Non posse pronun-
 - ciari anathematis sententiam in eum qui vivit, nisi cer-
 - tissima sint eius criminis, quo se idem obligavit, argu-
 - menta, ac probatio, alioqui temerarium & crudele esse,
 - in eum vero qui e vita recesserit, multo minus, nisi
 - etiam constet recessisse sine ullo dolore sceleris patra-
 - ti, at Honorium iamdiu vita defunctum, damnari in
 - his actis anathemate, vel potius pronunciari, damna-
 - tum fuisse, dum viveret, cum tamen neque fuisse hære-
 - ticum, neque cum peruersa eademque pertinaci sen-
 - tentia illa excessisse e viuis constiterit, quorum utrumque
 - necesse fuerit certo scire, alioqui sceleratam & impiam
 - esse eam sententiam, ac proinde falsa hæc acta, in qui-
 - bus sic de iudicio habeatur, Certe si attentius relegisset
 Pygius Sextum concilium, & adscribendum, non tan-
 tum vincendi studium, & suæ opinionis præiudicium
 adhibuisset, profecto nõquam hic hæsisset. ergo in ex-
 trema fere parte duodecimæ actionis, in qua de variis
 exemplis ex tabulario, quod chartophylacium Græci

vocant, fides, & auctoritas rerum gestarum quaritur,
 » post alia prolata (inquit) est epistola Sergii ad Cyrum,
 » & collata est cum codice Macarii, qui prolatus est per
 » Ioannem gloriosissimum questorem, & constitit, item
 » prolatus est alius codex, siue Regestum, similiter per
 » eundem religiosum Antiochum habens epistolam Ser-
 » gii quondam Patriarchæ Constantinopolitani ad Hono-
 » rium quondam papam Romæ, & collata est cum codi-
 » ce, qui a Macario datus est piissimo Principi, & consti-
 » tit. Similiter prolata est a Georgio Deo amabili diaco-
 » no & chartophylace epistola authentica Latina Hono-
 » rii Pontificis Romani ad Sergium quondam Patriar-
 » cham Constantinopolitanum, vna cum eius interpre-
 » tatione, & collata est eadem Latina epistola per Ioan-
 » nem Reuerendissimum Episcopum ciuitatis Portuen-
 » sis, qui vnus extitit de concilio antiquæ Romæ, & cõ-
 » stitit, & c. ac statim cum peterent Constantini orato-
 » res, siue iudices illi a sancto cõcilio, vt postquam satis
 » plane cognitum, perceptumque haberent de Sergio,
 » Cyro, Honorio, Sophronio, quod ad se pertineret, cõ-
 » cilium exequeretur, ne tunc quidem continuo conci-
 » lium pronunciauit, sed dixit se accuratiorem cognitio-
 » nem in actionem insequentem, id est, decimam tertiam
 » reseruare, atq. ita retractata, relecta, recognitaq. sunt
 » omnia iterum. Et cum omnia rursus cõgruissent, tunc
 » pronunciatum est aduersus Sergium, Pyrrhum, Cyrũ,
 » Paulum, Honorium, Theodorum, quid hic audis præ-
 » cipitis iudicii? quid causæ indictæ? quid ignoratæ, &
 » incertæ rei? tamen audi Pygium. Hoc est quod dico
 » nullam inueniri in omnibus illis actis factam inquisi-
 » tionem, an illæ chartæ, & illa exemplaria concordarēt
 » cum ipsis Honorii Autographis epistolis, quæ nusquã
 » productæ leguntur, & post paulo, sed hoc vnum so-
 » lũ, quod inter chartas Macarii productas ex illo char-
 » tophylacio inueniebantur exemplaria duarum episto-
 » larum

larum scripturarum sub nomine Honorii ad Sergium,
 chartas Macarii prolatas fuisse ait ex chartophylacio
 quæ quidem non ex chartophylacio depromptæ sunt,
 sed ab Imperatore Constantino missæ ad cõcilium, &
 quidem signatæ, vt legerentur. quæ & lectæ sunt, &
 comparatæ cum aliis exemplis autographis ex tabula-
 - rio publico productis. Hic vrget Pygius, non legitime
 - (inquit) examinati sunt testes, qui dicerent se vidisse
 - autographa, & scire, quod vere illius fuerint. At hoc
 certe neque in Sergii epistola ad Cyrum, neque ante
 in Cyri ad Sergium factum est. Ergo ne damnetur Ser-
 gius, ne Cyrus, imo ne Petrus, ne Paulus Patriarchæ
 Cõstantinopolitani, qui vt est in prima actione, omnes
 ante. 46. annos plus, minusue, huius peruersæ & im-
 piæ sententiæ de vnica voluntate Christi auctores fue-
 rant, iidemque damnati ab Agathone prius, & eius Sy-
 nodo Romana, deinde in hoc Sexto concilio. & quid
 opus erat testes examinare, vt eius verbo vtar, si (vt est
 in eadem 12. actione his verbis per scriptum) prolata
 » est auctetica Latina Honorii quondam Pont. Romani
 » ad Sergium quondam Patriarcham Constantinopoli-
 » tanum vna cum eius interpretatione, & collata est ea-
 » dem Latina epistola per Ioannem Reuerendissimũ epi-
 » scopum ciuitatis Portuensis, qui vnus extitit de conci-
 » lio antiquæ Romæ, & constitit. An non in 13. actione
 hoc dicit sanctum concilium, non esse quidem necesse
 Petri, Pauli, Pyrrhi, aut etiam Cyri Alexãdrini, Theo-
 dori Pharanitani scripta proferre? eo quod secta eorũ
 omnibus esset manifesta de vnica voluntate, quorum
 ipse Agatho sententiam damnasset, vna cum iis, qui
 eam secuti essent, tamen quo magis liqueret proferen-
 dam esse, nihil tamen de testibus, qui (vt Pygius ait)
 dicerent se vidisse autographa eorum, neq. enim opus
 erat. Et Martinus Pontifex nonne in Synodo Romana
 contra Monothelitas habita Paulo Cõstantinopolita

no præcepit, vt Pyrrhum abfentem damnaret? quia (inquit) eius præfentia non eft neceffaria, cuius exceffus præfens eft, & fanctus Maximus in eadem Synodo contra Nestorium (inquit) & Eurychen vnus tantum extitit accusator Eufebius Dorilensis, quia cū culpa manifesta eft, non opus eft multis accusatoribus, Theodorum autem & Origenem in quinta Synodo accusat nemo, fed fcripta eorum fatisfuerunt ad accusandum, hætenus Maximus. Hæc attuli, vt intelligatur maiorum exemplo, & auctoritate, poftquã productis literis Honorii, de crimine liquebat, non opus fuiſſe eius vel præfentia, vel vita, vel aliis accusatoribus præter epiftolã eiusdem, Poſſeque iure aliquem poſt mortem damnari, vt in quinta Synodo decretum eft. & Auguſtinus ad Bonifacium ita ſcribit de Cæciliano quem iam mortuum vulgo ferebant, ab eccleſiaſtica diſciplina reſiſſe dum viueret, ſi vera (inquit) eſſent, quæ Cæciliano inferebantur, & manifeſtum eſſet contrarium aliquid ſtatui eccleſiaſtico ſapuiſſe, etiã poſt mortem anathemati ſubiicerem. ſed de hoc copioſius paulo poſt, Hoc ergo poſt obitum Honorii Græci patres fecerunt, quod ſe affirmat Auguſt. facturum fuiſſe, ſi culpa & mens Cæcilianus coargui poſſet. Iam quod hoc loco Pygæus Græcis obiicit crimen corrumpendi ſcripta, merito quidem obiicit, non inficiamur, addere etiam poſteſt ad ea exempla, & teſtimonia, quæ ipſe recitat, epiftolam Hadriani ad Tarafium, quæ eſt in ſeptima Synodo, cuius etiam acta apocrypha eſſe dicere auſus eſt, in qua cum Tarafium reprehenderet, quod ſe paſſus eſſet, ex ordine laicorum vt loquuntur, archiepiſcopum Conſtantinopolitanum repente legi, ac nõ potius per gradus aſcendiſſet, id totum quod ad eum locum pertinebat, Græci deleuerunt, vt ex epiftola quadam Nicolai ad Photium perſpici poteſt, in qua perſcriptum eſt id ipſum quod in illa deſideratur. Quem morem cum

idem Nicolaus noſſet, prudẽter cauit anathemate Conſtantinopolim ſcribens, ne quis Græcorum cum literas ſuas legeret, aut Græce verteret, corrumpere. Accuſatur præterea hæc eorum prodition in concilio Florentino, item in ſeptimo multis in locis, deinde in hoc ſexto & in multis aliis & a multis. Veriſſima hæc ſunt, quis neget? Sed quis rurfus ob pauca loca alicuius libri corrupta, vniuerſã eiusdem ficta, & commẽtitia appellet, vt Pygæus facit? Sic enim dicere liceat opera Origenis ficta eſſe, & commentitia, ſi vt defenſor eius Rufinus voluit, ab hæreticis deprauata eſſe diceremus, ſed quis ſic loquitur, aut ſic ſentit? equidem duo loca deprauata eſſe in hoc ſexto concilio, negare non poſſum, de ſpiritu ſancto vtrumque. Cum enim in Agathonis & Romanæ Synodi ex. 125. patribus epiftola ad Conſtantinum miſſa ſcriptum eſſet, ſpiritum ſanctum ex patre filioque procedere, vt in concilio Florentino doctiſ. ille Iulianus, & ante eum Manuel Chaleca Græcus auctor teſtantur, verbum, ex filioque, ex illis ipſis literis, quæ in hoc ſexto concilio ſunt, ſublatur eſſe videmus. Item cum Macarius in ſua cõfeſſione fidei quæ in actione octaua perſcripta eſt, ſpiritum ſanctum ex patre per filium procedere, vt Græci loqui ſoliti ſunt, diceret, adiuncta eſt falſa interpretatio in hac Synodo. Ita enim legitur ex patre, per filium, ſcilicet manifeſtatum hominibus. Quibus duobus locis exceptis, nihil meo quidem iudicio conſictum eſſe videtur in his actis, ſi quis attentius relegat, & cum aliis conciliis recognoſcat, quod ſi totus locus de Honorio deque eius epiftola, & comparatione epiftolæ cum proprio exemplo facta, cõmentitiuſ eſt, quæſo cur horum actorum ſiue ſcriptori, ſiue interpreti tantum ſtudii fuit ſupponere hoc de Honorio in. 9. fere locis, ac non potius. etiam ſtatim delere vnum illud, in quo tam turpiter proditionis & mendacii Græci coarguuntur, de Mena dico, & Vigilio Pon

tifice, quos huius quoque sententię defensores, atque patronos de libris ab ipsis editis fuisse fingebant. Tamen manifeste sunt in mendacio deprehensi. Etenim si tantopere cupiebant, & laborabant, ut unum aliquę Pontificem suę sententię approbatorem habere viderentur, callidius deprauassent in Vigilio, quam in Honorio, si quidem in illo, tum id quod volebant, videretur sibi affecuti, & illam prodicionis maculam, a se depulissent. Hic Pygius iisdem suo more sæpe repetitis usque ad fastidium verbose magis, quam subtiliter, ut
 - clare (inquit) constaret de mortuo quopiam, quod in
 - vita sua aliquando fuisset hereticus, de quo tamen vi-
 - uens notatus non fuisset, tamen non posset de eo con-
 - demnari & anathema pronũciari, nisi clarissime de eo
 - ipso probatum fuisset, quod in crimine heresis decessisset
 - impoenitens, & que sequuntur. Itaque de Honorio
 - non liquere, an vita defunctus esset sine dolore cõmissi
 - sceleris, quare sequi, ut damnari non potuerit. Imo
 - scelus committere, qui damnare velle. An vero fuerit
 hereticus Honorius, dum viueret, pluribus adhuc agemus statim. nunc eoposito, ut facit Pygius, Videamus
 vtrum necesse fuerit scire, an idem excessisset e viuis, nihil errasse dolens. Quod intelligi quidem potest vel ex epistola illa valde ecclesiastica, ac pia Imperatoris Iustini-
 - Theodori Mopsuestię, epistolę Ibe, & Theodoriti Cy-
 - ri, qui quidem scripserant ad Iustinianum, blasphemias
 - atque errores Theodori Mopsuestię ab Imperatore
 - missas libenter se quidem anathematizare, ipsum vero
 - Theodorũ minime anathematizare audere, quia in pa-
 - ce, & cõmunionem ecclesię mortuus esset. quod perinde
 - mihi esse videtur, atq. dixissent, ut nũc Pygius facit,
 - de iis ipsis erroribus minime fuisse notatum & conui-
 - ctum, dum viueret, defunctumque esse in cõmunionem
 - ecclesię, neque constare, vtrum in iis erroribus de-

cessisset, ut illos demus defendisse. respondit ergo Iustinianus de patrum, ut credo, sententia, neminem hereticorum dãnatione de herese, moriendo liberari, quin potius inquit, mors ipsa illum cõdemnat, quia viuens non egit pœnitentiam, satis itaque est, ut ecclesię iudicio constet aliquem decessisse, ut Pygii verbo utar, im pœnitentem, si non constet de illius pœnitentia, atque confessione, qui hereticus fuisse, post mortem conuictus est, scriptum est enim, corde creditur ad iustitiam, ore autem fit cõfessio ad salutem. sic damnati sunt post mortem, quorum pœnitentia nõ est in vita demonstrata, Eunomius, Apolinarius, Bonosus, & his antiquiores Valentinus, Basilides, Marcion. sic Synodus Alexandrina a Dionysio Episcopo congregata post mortem condemnauit, & anathemate affecit Nepotianum Episcopum Aegypti & Cerinthum principes Chiliarũ. sic Synodus Cartag. c. 82. eum episcopum, qui ecclesię anteposuerit heredes propinquos suos hereticos, aut etiam gentiles, etiam post mortem anathematizat, & eius nomen inter nomina sacerdotum Dei commemorari prohibet. sic temporibus Iustiniani, ut idem testatur, Laurentius quidam, & Dioscorus quia sacerdotiũ arripuerant, post mortem damnati sunt, & facti anathema. Decretum. v. Synodi de damnatione post mortem supra memini, item Aug. epistolam ad Bonifaciũ de Cęciliano post mortem anathematizando. Hanc regulam, & ut idem Iustinianus ait, traditionem ecclesiasticam damnandi mortuos, quorum in vita pœnitentia, & confessio, nesciuntur, secutus Agatho in literis suis & Synodi Romanę, anathematizamus, inquit, auctores huius heresis Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Paulum Patriarchas Cõstantinopolitanos, deinde subiungit, & eos, qui eis consentanei usque in finem monstrati sunt. quod quidem factis declarat, cur etiam post mortem isti damnarentur,
 Bb iii

quia scilicet, in vita pœnitentiam non egissent errorẽ suum confitentes, atque in his quidẽ literis, quia fortasse nõdum quicquam certi de Honorii sensu præter rumorem nõ bonum haberetur, vt in quem ante id temporis minime esset inquisitum, nihil in eum nominatim scriptum est. post vero Agathonem Leo pontifex in ea epistola, quam ad Constantinum misit, qua concilium Sextum confirmauit, enumerans eos, quos anathematizat, Et Honorium ait, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolica traditione lustrauit, sed profana prodicione immaculatam fidem subuertere conatus est, & omnes, qui in suo errore defuncti sunt, similiter anathematizamus, & execramur. & si nõ desint, quibus ob tam acerbam & contumeliosam Honorii damnationem hæc Leonis epistola aut conficta, aut de prauata esse videatur, quibus nihil est, quod respondeamus, cum hanc suam coniecturam nullis argumentis, aut historia firmet, sed eam tatum fortasse ex opinionis suæ præiudicio ducant. Sed de hoc postea vide rimus. Peius ergo, quam hoc loco Pygius, Feradus Carthaginensis errauit, qui ad Pelagium, & Anatoliũ Romanos quærentes, vtrum liceret damnare aliquẽ post mortem, inter alia quæ respondisse scribitur, illud est, si quis accusatus ante diem sui examinis repentina vocatione præuentus est inter finem matris ecclesiæ, diuino intelligendus est iudicio reseruari, quia hic nullus homo potest manifestam proferre sententiã. sane iste facile cum Pygio affirmasset, non potuisse Honorium post mortem a catholica Synodo condemnari. peius ad huc errauit Facudus Afer Ermianensis episcopus, qui in libris illis suis. 12. hæreticis ad Iustinianũ missis, male affirmat nullos de herese mortuos damnari posse. de quo libenter admoneo, ne quem hic auctor incautum fallat per dulces sermones, vt solent hæretici, dum per speciem defensionis: quartæ Synodi, eiusdem Synodi

Calcedonensis iudicium improbat, Theodori Mopsuestiæ, & Ibæ laudator summus, vnus profecto ex eorum numero, de quibus Gregor. magnus. lib. 7. reg. epist. 53. peruersi inquit homines, qui trium capitulorum occasione reperta ecclesiasticã disciplinam fugiunt, & paulo post, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt, & dum neque in fide recti sunt, neque bonis operibus intenti, student, vt pro fide certare videãtur. & rursus. lib. 2. epist. 49. exeuntes inquit maligni homines turbauerunt animos vestros, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neq. de quibus affirmant, astruentes, quod aliquid de sancta Calcedonensi Synodo pie memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutũ, quam omni fide, omni que deuotione veneramur. idem scribi lib. 6. Epist. 195. Huius Facundi suadela deceptus sanctus vir Isidorus laudat in suo de Viris illustribus librotum eum, tum Theodorum Mopsuestiæ Sozomenum fortasse secutus, & Iustinianum dicit impulsũ ab Acephalis damnasse Theodorum. de his omnibus per occasionem admoneo, ne attendentes fabulis, & opinionibus hominum erremus, & in errorẽ mittamus.

Sequitur tertia ratio Pygii, quæ difficilior est, & in qua magis iste auctor laborat, scilicet vt det Honorium in ea sententia de vna voluntate Christi a vita recessisse, idque ipsum liquere, tamen non fuisse hæreticum, quod sic sensisset in vita, ita se in omnem partem agit, quasi in palæstra sit. Sed age videamus vtrumque, quale est, ac prius illud, vtrum ea tunc sententia hæretica fuerit de vnica voluntate Christi, negat Pygius, quod videlicet nihil ante de ea re certum, diffinitumq. esset fuisseque eo tempore de vnica voluntate Christi. vt de redintegrando hæreticorum baptismo Cypriani ætate, ideo enim nõ fuisse Cyprianum hæreticum, neque item Honorium. Sed hic metiri vult suo iudicio aliorum imo ipsius ecclesiæ iudicium, & quod sibi videtur

non fuisse tunc certum, ac constitutum, non fuisse omni-
no putat. Equidem cum multa alia verissime hoc loco
dicat Pygius, illud, ut credam, adduci non possum, non
fuisse ut idem vult, satis certum, ac definitum ante Ho-
norum, esse duas Christi voluntates, alteram diuinam,
humanam alteram. Quod cum ex multis aliis, tum ex
epistola illa canonica magni Leonis ad Flavianum per-
spici potest, quæ firmamentum rectæ fidei appellata est,
operatur (inquit) vtraque forma cõmunionem alterius,
verbo operante, quod verbi est, carne quod carnis, quid
clarius? & audeat dicere Pygius nihil ante decretum, ex-
positumque esse, vtrum duplex energia voluntatis, an
vna esset in Christo? quid differt, quod Sergius Cyro
episcopo Phasidis de eadem re consulenti respondit,
scilicet non esse quicquam ante, ne in Calcedonensi
quidem concilio de eo decretum? id enim Leonis a ne-
mine sic accipi, aut exponi. Quod quam sit falsum, fa-
tis est in concilio eodem. 6. explicatum. Sed audi testi-
monium Martini Pontificis, in Synodo Romana, quæ
ante tempora Agathonis contra Monothelitas habita
est, luculente, inquit, omnibus cõprobat per patrias
diffinitiones, quod duæ naturæ Christi existunt in vni-
tione inconfusæ, & indiuisæ, & duæ voluntates, & duæ
operationes, & proprietates naturales, & paulo post,
oportet eam destrui vtpote contradicentem doctrinam
sanctorum patrum & diffinitioni concilii Calcedonen-
sis, nimirum quod de re hac Leoni visum est, idem Cal-
cedonensi concilio visum, decretumque esse iudican-
dum est, ut eadem Martini Synodus his verbis testa-
tur, super hanc beatæ memoriæ Leonis Romanæ vrbis
præfulis vocem Orthodoxam conuicti, imo per omnes
sanctos, ac venerabiles patres secundum Calcedonen-
se concilium, quoniam ipsius esse nulli venit in dubium,
sicut iam referatum est, quicquid ab ea diffinitione Leo-
nis confirmari dignoscitur, & quæ sequuntur. & sanctus
Maximus

» Maximus in eadem Synodo Martini loquens de dua-
» bus Christi voluntatibus, ita ait, Ad hunc modum,
» qui sapere non vult, sanctam Calcedonensem respuit
» Synodum, omnesque sanctos ac venerabiles patres,
» quippe quoniam in diffinitione sua luce clarius promul-
» gasse demonstratur, asserens in hoc tantummodo mi-
» nime computari differentiam naturarum post vnita-
» tem, quia vtriusque naturæ saluatur absque peccato na-
» turalis proprietas, est autem naturalis proprietas hu-
» manæ naturæ humane velle, & diuinæ, diuine. quod
» qui negat, idem (ait) Calcedonensem Synodum ne-
gat. Præterea manasse hanc hæresim ab Apollinare,
Dioscuro, Theodosio multo ante damnatis docet hæc
ipsa sexta Synodus cum aliis in locis, tum in extremo
decimæ actionis, ita enim ibi ex libro Apollinaris de
- obscuris eius. Deus assumens instrumentum, Deus est
- secundum quod operatur, homo secundum quod in-
- strumentum, manens Deus non mutatur. instrumen-
- tum & quod ipsum mouet vnã solet perficere opera-
- tionem, & si vna est operatio, vna item essentia. Et su-
pra in actione .8. sic in Macarium huius peruersæ sen-
tentia de vnica voluntate pronunciat. Nouo Dioscuro
anathema, nouo Apollinari malos annos. Quemad-
modum ergo non est antea decretum duplicem esse Chri-
sti voluntatem? aut quemadmodum non fuit necesse,
ut decerneretur, cõtra eos hæreticos qui ex vnica ope-
ratione, vnã Christi naturam colligebant? Verum
fuisse de hoc superioribus temporibus cautum, & ab
euangelistis, & a Paulo infinitis in locis expressum, co-
piosius docet sanctus Maximus in ea disputatione, quã
contra Pyrrhum habitam conscripsit. Deinde Pygius
ut quoquomodo, quaque via, si possit, vincat, pergit
ostendere, ne id quidem de vna voluntate sensisse Ho-
norum in epistola illa ad Sergium, quæ est in iisdem
actis. 6. Synodi & recitatis paucis quibusdam ex illa

- ipsa epistola, subiungit idem hac eius, quam docuit fi-
- dem Honorius, neque diuisus ipse Petrus proferre po-
- tuisset magis Orthodoxam. An si quaedam recte, idcir-
- co quae minus recte, dissimulanda sunt? sane non loque-
- batur de religione, sed de poemate, qui dixit non se pau-
- cis offendi maculis, debet enim religio pura esse, neq-
- vlla ex parte claudicare. Sed videamus quid illud, &
- quale, quod Pygius tantopere in literis Honorii lau-
- dat, nempe quod propter verborum nouitate, neque
- vnam, neque duplicem voluntatem praedicandam esse
- censuerit, At cum suasio Pauli archiepiscopi Constanti-
- nopolitani, Constantinus proposuisset edictum, quod
 Typum appellauit, de non profitendis aut vna, aut dua-
 bus voluntatibus, Synodus Martini non probauit illa
 Typi sententiam, neque enim (inquit) in causa fidei sa-
 tis est, falsum non pronunciare, sed verum oportet pro-
 fiteri, vt sicut petebat Abraam, iustus cum impio ne
 pereat, & declinetur malum, & fiat bonum, & sicut per
 Moysen praecipit, vt sanctum a profano discernatur, re-
 ete Calixtus pontifex, homini religioso parum esse de-
 bet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere
 loquendo male, nisi eas etiam extinguere bene loque-
 do, & illud vetus est, non caret scrupulo societatis oc-
 cultae, qui manifesto facinori definit obuiare. At Ho-
 norius Sergii ad Sophronium literas laudat de non pro-
 fitendis vna, aut altera voluntate Christi. Ergo post
 haec, quae Pygio videntur optime illa quidem ab Ho-
 norio dicta, illud, addit, quod nemini profecto rectum
 videatur, vnde, & vnam confitemur voluntatem Do-
 mini nostri Iesu Christi. Ac paulo post, etsi quidem scri-
 ptum est, non veni facere voluntatem meam, sed eius
 qui misit me patris, & non quod ego volo, sed quod tu
 vis pater, & alia huiusmodi, non sunt inquit haec diuer-
 sae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assum-
 ptae, ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit ex-

- plum, vt affectaremur vestigia eius, pius magister disci-
- pulos imbuens, vt non suam vnusquisque nostrum, sed
- Domini in omnibus praeferat voluntatem. Quid cla-
- rius pro vna voluntate, vnaque eius energia ab Hono-
- rio dici potuit? quod vero narrat Pygius, recetes quos-
- dam historicos haud magni nominis auctores secutus,
 Pyrrhum, qui in Monothelitis fuit, ab Honorio fuisse
 damnatum, tametsi ita esset, quod falsum esse mox do-
 cebimus, tamen minime cum ipsa Honorii epistola pu-
 gnaret, ob id enim Pyrrhus danatus esset, quod sic vna
 voluntatem Christi profiteretur, vt plane ad Eutyche-
 tis sententiam delaberetur, quam ipse Honorius ex-
 crabatur. Etenim quamuis luis ad Sergium literis Ho-
 norius significaret, non esse duas Christi voluntates, ta-
 men ob offensionem, & inuidiam noui verbi, vt puta-
 bat, neque vnam voluntatem profiteri concedebat, ne,
 inquit, Eutichiani videantur, itaque volebat licere ali-
 quid sentire, quod idem non liceret profiteri, ac doce-
 re, scilicet, ne vt idem ait, scandalum in ecclesiis Dei ge-
 neraretur. At Pyrrhus non modo ecclesiasticae seditio-
 nis auctor erat, sed publice sententiae Eutyche-
 tis iam ante damnatae renouator. Verum non fuisse Pyrrhum
 ab Honorio damnatum, magnum argumentum est,
 quod quantum, & diligentissimis, ex antiquae fidei, ma-
 gniq. nominis historicis Theophane & Anastasio col-
 ligere licet, primus pontifex Maximus, qui Monotheli-
 tarum disciplinam damnauit, fuit Ioanes quartus Dal-
 mata, idem etiam quartus ab Honorio, post eum anno
 septimo, ita enim illi narrant Heraclium Imperatore
 vigesimo Imperii sui anno iussisse Cyrum ad se accersi-
 ri, quem cum reperisset in eadem cum Sergio senten-
 tia, adiunxisse se ad eos, deque eo scripsisse ad Ioanem
 pontificem Romanum, a quo cum danatum esse dogma,
 simul etiam a Sophronio Hierosolymitano audisset,
 aliquantulum se reuocasse, & proposito edicto cauisse.

ne quis vnam, duasue voluntates prædicaret, aut defenderet. Post mortem vero Sergii, Pyrrhum Sergii & Cyri sectam suscepisse, & amplificasse. Tum Heraclio vita defuncto, eundem Pyrrhum vna cum Martina Constantinum Heraclii filium veneno sustulisse, & Heracleonam Martinæ filium imperasse, quo postea pulso cum matre, Constantem Constantini filium Imperium adiisse. Itaque Ioannem cum concilio Romano damnasse Monothelitas, idemque factum fuisse in Africa, Numidia, Mauritania ab episcopis. Post Ioannem vero consecutum esse Theodorum Pontificem, cuius temporibus Pyrrhus ad Africam profectus fuerit vna cum sancto Maximo, a quo cūcoargueretur, venisse ad Theodorū, & oblato libello rectæ confessionis, receptum fuisse, Discidentem vero Roma, postea cum Rauenam peruenisset, rediisse ad insaniam priorem. Tunc Theodorum aduocato concilio Pyrrhum anathemate iterum affecisse, & ordine episcoporum mouisse, deinde Pyrrhum reuersum Constantinopolim mortuo Paulo patriarcha, lectum esse ab hæreticis patriarcham. Postremo Martinum pontificem Theodori successorem, conuocato concilio. 110. episcoporum, eandem quoque sententiam, eiusdemque patronos tertio condēnasse. Nūquid hic audis de Honorio? ecquis dubitat, quin, si is Pyrrhum damnasset, tam diligentes historici hoc loco, qui proprius erat ad narrandum, meminissent? nulla hic metio de Honorio, imo neque de Bonifacio, & Seuerino qui inter Honorii, & Ioannis quarti ætates interiecti fuerunt sex fere annorum spatium. Ex his etiam perspici potest falsum esse quod hic ait Pygius, Theodorum Honorio successisse, cum tres eum deinceps consecuti fuerint pontifices, licet mediis interuallis, itē falsum esse, Theodorū restituisse Pyrrhum sedi Constantinopolitanæ, neque enim postquam factus est patriarcha, pulsus vnquam est, neque a

Theodoro creatus patriarcha, sed ab hæreticis, successitque is Paulo Monothelitæ, non autem Paulus Pyrrho, vt Pygius facit. Item quod ait Platina, hortante Honorio, relegatum fuisse Pyrrhum ab Heraclio, si quidem de exilio verum est, accipiendum potius, hortante Ioanne, quæso, cum variant auctores, vtrum est fides accommodanda, iis, quæ ex vetustate annalium repetuntur, an iis, quæ ex recentibus nouellisque historiis? Verum illud est omnium maximum argumētum, non fuisse Pyrrhum ab Honorio damnatum, quod in eo libro quem Maximus de suis cum Pyrrho disputationibus conscripsit, Cum obiiciat Pyrrhus Honorium, eiusque auctoritate sententiam suam velit defendere, nunquam Maximus damnationem Pyrrhi profert ab Honorio factam. At qua ratione potuisset Pyrrhum vehementius refellere, qui Honorium suæ sententiæ faceret, quam si ab eodem Honorio dānatum esse doceret? tantum abesse, vt cum ipso consentiret. sed conuertam in Latinum, totū hunc Maximi locum, ex quo quid de Honorio suspicari liceat, facile (vt mihi videtur) intelligi potest. Pyrrhus. quid tu habes, quod de Honorio respondeas, qui literis suis, quas ad Sergium superioribus temporibus scripsit, vnicam plane voluntatem Domini nostri Iesu Christi professus est. Maximus. Vtra harum literarum verior, certiorque interpretatio habenda est, eius ne scribæ qui nomine Honorii illas scripsit, præsertim cum idem adhuc superstes sit, omnisque virtutis splendore, & religionis disciplina, totius occidentis partes ornarit, an Constantinopolitanorum ciuium, qui nihil, nisi quod ipsis libet loquuntur? Pyrrhus. Verior eius, qui scripsit. Max. At is ad Imperatorem Constantinum sic de illa epistola (scilicet propter quam Honorius accusabatur) iussu Ioannis Pontificis scripsit, Sane quod vnam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de dua

„ bus diuinæ, humanæque nature dictum voluntatibus,
 „ sed humanæ tantum. Cum enim Sergius scripsisset, præ
 „ dicare quosdam duas esse Christi voluntates contra-
 „ rias, nos rescripsimus, Christum duas voluntates con-
 „ trarias non habere, vnam inquam carnis, alteram spiri-
 „ tus, sicuti nos haberemus, ex quo Adam peccasset, sed
 „ vnam modo, quæ naturæ humanæ ipsius Christi pro-
 „ pria esset, cuius rei euidens est argumentum, quod cor-
 „ poris, partiumque eius meminimus, quæ in illius di-
 „ uinitatē non cōuenire possunt. deinde occupans quod
 „ obiici poterat, ait, si quis quærat, cur cum de humani-
 „ tate Christi tractarem, de ipsius diuinitate nullam
 „ mentionem fecimus, nimirum quia ad quæstionem po-
 „ sitam responsum est, deinde sacræ scripturæ exemplū,
 „ cum in cæteris aliis, tum hic secuti sumus. In eā enim
 „ aliquando sermo habetur de diuina natura, vt cum ait
 „ Apostolus, Christus Dei potentia, & Dei sapientia, ali-
 „ quando de humana tantum, vt cum idem Apostolus
 „ ait, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &
 „ quod infirmum Dei, fortius hominibus. Pyrrh. Sane
 „ Sergius qui ante me fuit, simplicius hoc accepit in ver-
 „ bis ipsis hærens. Max. Vera refero. Quid hic auditur de
 „ Pyrrhi damnatione? Profecto si eum Honorius dam-
 „ nasset, dicam iterum, hoc imprimis respondiſſet Maxi-
 „ mus, cum ostendere vellet, nō fuisse Honorium in Ser-
 „ gii, Pyrrhique sententia, cum hac vero interpretatio-
 „ ne allata literarū Honorii ad Sergium, vt dicam quod
 „ sentio, non video quomodo conueniant illa ex episto-
 „ la Honorii, non veni facere voluntatem meam, sed eius
 „ qui misit me, patris, & non quod ego volo sed quod tu
 „ vis pater, & alia huiusmodi, non sunt hæc diuersæ vo-
 „ luntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ, ista
 „ enim propter nos dicta sint, &c. hic enim nō de huma-
 „ na tantum voluntate Christi loquitur Honorius, sed
 „ de diuina, cum quicquid habeat pater, filius itē habeat,

nisi patrem esse. quæadmodum ergo non in eo sint duæ
 voluntates? aut quemadmodum hæc de vna tantum ac-
 cipi possunt? sane secretarius Honorii partem epistolæ
 interpretatus esse videtur, nō totam. Deinde sequitur
 in Pygio, ab hoc sexto concilio impii, sacrilegi, perfidi,
 & scelerati, atque hæretici hominis Constantii Im-
 peratoris memoriam sanctificatā esse. Primum lauda-
 tus est non a concilio, sed a Gregorio chartophylace,
 & ministro a tabulis, deinde quæ magna laus est dicere
 præsertim cū sic loqui consuetudo fert, similiter protu-
 litres prosphonicos, id est acclamatorios tomos, eius-
 dem Pauli ad sanctæ memoriæ quondam Imperatorē
 nostrum, & patrem piissimi nostri Domini & Impe-
 ratoris de vna voluntate, & operatione. Ecquis patrem
 nostri Imperatoris coram eo præsertim, nisi honorifi-
 cētissime nominare auderet, esto fuisse nequissimus,
 vt quidem fuit optimus, & catholici nomine dignissi-
 mus? Iam quod Bedam, Blendum, Platinam historicos
 laudibus ait extulisse Honorium, tātum abesse, vt quis
 illorum hanc illi maculam inusserit. equidem laudasse
 fateor, aliarum virtutum merito, cur vero de hac eius
 dānatione nihil nobis prodiderint, nihil certi habeo,
 sed ego, non existimo quærendum esse, qui non scripse-
 rint, sed qui scripserint, & qua illi auctoritate sint, etsi
 Beda quidem Honorium numerat inter eos, qui in sexta
 Synodo fuerunt cōdēnati. Deinde ita est de Honorio
 dānato in pontificali in vita Leonis secūdi, & in episto-
 la eiusdem ad Constantinum. Præterea in Synodo Ro-
 mana Martini Pont. quam corruptam esse a Græcis su-
 spicari non possumus, recitata est Pauli Constant. ad
 Theodorum pont. epistola, in qua scriptum est de Ser-
 gii & Honorii consensu in hac opinione, quod a ne-
 mine eius Synodi refutatum est, vt ex quarto eiusdem
 Synodi secretario (ita enim actum ibi vocant) perspi-
 ci potest. Itē Umbertus episcopus & Cardinalis Leo-

nis noni ad Constantinopolitanos legatus, vir summa doctrina & religione in libro, quem aduersus Nicetā scripsit, historiā sextæ Synodi summatim repetens Honorium quoque numerat inter damnatos Monothelitas. Præterea ita est scriptum in omnibus exēplis sextæ Synodi, suspicari vero omnia exempla corrupta esse, temerarium est, nisi ab eadem officina omnia profecta, & ab eodem artifice ficta esse putemus. omniū autē certissimum huius damnationis argumentum est, Quod cum Hadrianus secundus, conuocato Romano concilio, ageret cum reliquis episcopis de damnando Photio, qui id esset in Pōtificem ausus, quod olim Dioscorus in magnum Leonem, scilicet, pronunciare anathema, illud dixit in senatu, a nemine vnquam iudicatum damnatumue esse Pontificem, nam Honorium fuisse quidem post mortem ob hæresim, & id quidem consentiente pontifice. deinde adiungit exemplum alterum de Symmacho, quem cum accusaret Theodoritus rex, congregassetque concilium episcoporum, vt de eo decerneretur, quisque eorum respōdit, reseruare se eam causam iudicio Dei, atque ita signare, sunt autem perscripta hæc in .8. cōcilio contra Photium habito, quod Anatasius summa diligentia, & fide auctor religiosissime in Latinum conuertit, qui idem Græcus, Græcis huiusmodi prodicionem librorū multis in locis exprobrat, & obiicit, quique eidem cōcilio interfuit. Quod si in hac Hadriani oratione Honorii nomen suppositum quoque esse diceremus, sequebatur, vt tota illa oratio, seu vt ipse vocat, allocutio commenticia foret, cū tota ea sit ex his duobus exēplis Honorii & Symmachi composita. ita enim perscriptum est in septima actione, Allocutio tertia Hadriani pontificis in concilio quod idem Romæ congregauit ad damnandum Photium, recitata per Petrum diaconum. Intolerabilis est ista præsumptio dilectissimi & aures præcordiorum fa-

teor,

teor, sustinere non possunt, quis vnquam nostrum tale quid, precor, audiuit? vel quis huiusmodi temeritatis saltim lectione immensitatem inuenit? Si quidē Romanam pontificem de omnium ecclesiarū præsulibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse nō legimus. licet enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quod si per hærese fuerat accusatus, propter quam solum licitū est minoribus, maiorum suorum motibus resistere, vel prauos sensus libere respuere, quamuis & ibi neque Patriarcharum, neque cæterorum antistitum quispiam de eo, ausus fuerit proferre sententiam, nisi eiusdem primæ sedis pontificis consensus præcessisset & auctoritas, deinde sequitur alterum exemplum de Symmacho, meminimus interea scriptū quod rege quondam Italię Theodorito papam Symmachum &c. Neque vero quod Honorius ab orientalibus damnatus esse dicitur, ex eo efficitur, vt Cardinalis sancti Sixti, vir alioqui singulari doctrina in sua summa ecclesiæ falso significare videtur, vt minus auctoritate ecclesiæ catholicæ damnatus sit, etenim si ita esset, fuisset profecto absolutus postea, vt Ioannes Constantinopolitanus archiepiscopus iniuste condemnatus dum viueret, post mortem ab Innocentio primo & ecclesia catholica Romana absolutus est, Flauianus item Constantinopolitanus contra ius quoque damnatus, a magno Leone & Synodo Calcedonensi similiter post mortem absolutus. addit enim Hadrianus, consentiente Pontifice, damnatum Honorium, nihil autem refert, vtum ab orientalibus quid, an ab occidentalibus decretum sit, modo pontificis accedat auctoritas. Siquidem in orientalium, aut occidentalium appellatione, non auctoritatis, dignitatisue, sed patriæ, ac regionis discrimen inest, vt Ambrosius vir diuina sanctitate, & singulari doctrina præditus in concilio Aquileiensi satis declarat

» his verbis, superioribus temporibus concilium hic fa-
 » ctum est, vt orientales in orientis partibus, occidenta-
 » les in occidentis concilium haberent, quæ semper fuit
 » consuetudo, ne alteri alteros tamen vocare non so-
 » leant, tamen nõ prohibeant. Sic etiam dicere solemus
 decretum fuisse ab occidentalibus, quod alioqui ab ec-
 clesia catholica decretum est, vt spiritus sanctus ex pa-
 tre filioque procedere dicatur. Itaque vt falso quærun-
 tur Græci, hoc de spiritu sancto, aut aliud quid consti-
 tutum esse ab occidentalibus vna cum pontifice, cum
 ipsi abessent, ita falso quærantur Latini, damnatũ fuis-
 se Honorium ab orientalibus assentiente pontifice.
 Præterea cum ait Hadrianus secundus ante iudicium,
 damnationemque Honorii a nemine vnquam iudica-
 tum esse pontificem vllum, profecto de recto iudicio,
 iustaque damnatione loquitur, constat enim fuisse an-
 tea magnum Leonem a scelerato & nefario Dioscoro
 impie iudicatum, & condemnatum. Ergo Hadrianus
 pontifex iudicatum esse dicit Honorium iuste, & au-
 thoritate pontificis damnatum hærese os. Non enim
 negare potest Pygius Honorii literas ad Sergium ob-
 scuras, inconstante (que fuisse, & nunc de vna, nunc de
 duplici voluntate significasse, id quod in Synodo Mar-
 tini ceteris Monothelitis obiicitur his verbis, & quod
 - foedius est, vnã habere, & neque vnã habere volũ-
 - tatem asseruerunt. tum accessit ad hanc varietatem &
 inconstantiam offensionis plenã, quod cum a vita re-
 cessisset Honorius, non potuit animi sui sententiã ex-
 ponere, cui soli fortasse nota erat, neque enim satis fuit,
 quod eius mentem eius secretarius interpretatus est,
 vt ex Maximo cognouimus, cum neque satis sit ad in-
 nocentiam probandã, ac suspiciõne tollendam, quæ
 quis dicat, aut scribat, ab aliquo ea in meliorem partẽ
 accipi, si æque in malam possint. Deinde cum Honorii
 pontificis auctoritate huius sententię de vnica volun-

tate defensores & patroni niterentur. Profecto nisi
 damnatus fuisset Honorius, de ea, quam *προσωποληψιας*
 Græci vocant, id est, de personarum acceptione que-
 sti fuissent, & misericordiam in iudicio tributam esse
 clamarent, atq. ita ob eam causam pertinacius fortas-
 se in pessima sententiã permansissent, quod cum Hono-
 rius intelligeret vir alioqui sanctissimus, quis dubitet,
 quin optabile illi etiam fuisset anathema fieri pro fra-
 tribus suis? libenterque fecisse famæ iacturam, vt illos
 in nauis ecclesiæ seruaret? præsertim cum magnus for-
 tasse metus esset, ne suspicio quamquam falsa de fermẽ-
 to Honorii totam massam corrumpere? postremo pri-
 uatas literas ad Sergium miserat Honorius, nõ autem
 de concilii sententiã, & maturo fratrum consilio, neq.
 vero si quid pontifex priuate tradit, id cõtinuo impin-
 gendum est, & assignandum petre, de qua illud, portę
 inferi non præualebunt aduersus eam. Credo equidẽ,
 Honorium, aut adulatione, aut metu scripsisse, quę nõ
 gerebat in animo. certe Beda testatur iussisse Iustinia-
 num, vt Sergius pontifex Ro. Constant. traheretur,
 quod nolisset alteri sextæ Synodo nefariæ pro Mono-
 thelitis habitæ subscribere, itaque aptissime, & verissi-
 me dicere possumus, quod sanctissimus pontifex Gela-
 sius eis respondit, qui Petrum Patriarcham Alexandri-
 num hæreticum a nescio quo pontifice, vel eius aucto-
 « ritate absolutum esse iactabant, si (inquit) subsecutus
 » est pontificis alicuius assensus, adulationis potius fuit
 » quam legitimæ sanctionis, si præcessit assensus, doce-
 « tur, a quibus & vbi ille sit gestus, si secundum ecclesiæ
 « regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si
 « maiorum more prolatus, si competenti examinatione
 « depromptus, vbi proculdubio requirendum est, si Sy-
 « nodali congregatione celebratus, quod in receptione
 « damnati, & depulsione catholici, quia noua causa est,
 « fieri certissimum est. Quorum cum nihil in his Hono-

rii literis ad Sergium mittendis, & in hac eius cum Monothelitis cōfensione proferri possit, quid est, cur tan to opere hanc illi notam, quæ manifestissimis argumētis coarguitur inurere vereamur? quid ergo Pygius ita laborat quasi nullum iam exitum reperire posse videatur in pōtifice quopiam damnato? aut cur verisimilius illi videtur commentitia esse hæc acta, quam Platinam de damnatione Honorii ignorasse? aut, cur, quia Beda non meminerit (vt ipse putat, tametsi meminit quidē, vt ante dixi) idcirco fallum esse asserat? Sed pergam vltterius. Commentitia præterea hæc acta putat & appellat Pygius, quoniam binæ literæ Cyri ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum inscriptæ sunt, sic, Sergio patriarchæ vniuersali, quam inscriptionē quis hominum iudicet taciturnitate, vt ipse ait, a legatis approbatam fuisse? hoc est, quia nō statim vociferati sint, vt audierunt, miror Pygium non considerasse esse literas illas Cyri hæretici ad Sergium Constantinopolitanum patriarcham, eundemque hæreticum, quæ cū sint totæ hæreticæ, quid mirum, si inscriptio vanis sit & insolentis. an non totæ damnatæ sunt cum auctore? Quis ergo approbatas fuisse existimet, quia non continuo, vt lecta est inscriptio, aut tota epistola, relictis maioribus rebus, inuecti sunt in Cyri insolentiam, profecto leuissima hæc sunt, & præ infirmitate, vix digna confutatione. Præterea licet Agathonis ad Constantinum Imperatorem adulatione plenas esse dicit, atque idcirco confictas, scilicet quia tranquillam mansuetudinem eius appellat, & eiusdem literas, diuales apices, & urbem Romam principatus eius seruilem, quamobrem alienissimas esse a grauitate, & stilo pōtificio. At cum hæc, eiusmodiq. alia in omnibus fere conciliorū actis legantur, quid superest, nisi vt hac ratione nihil nos habere putemus, quod Græcorum manus, & eorum corrumpti artificium euaserit. Sane si octauam Syno-

dum, quæ est omnium integerrima fide, quamquā barbarè versâ Latine, tum si Nicolai. i. epistolas, quæ nunquam in Græcia peregrinatæ sunt, neque corrumpi potuerunt Græcorum consuetudine, vt quæ nuper ex tabulario pontificio prodierint integræ, item si Leonis magni, attentius relegisset Pygius, & cum hæc scriberet, meminisset, nunquam profecto cōmisisset, vt tam leuiculo argumento, historiæ tam vtilis, tamque necessaria, quæ in his actis continetur, fidem & auctoritatem vellet euertere. Quid? ficta sunt in conciliis Tolentanis antiquissimis, nostra sublimitas, nostra celsitas, & illa hodie sacra & catholica maiestas? deinde cum se Pontifex seruorum seruorum Dei appellat, quod (vt proditum memoriæ est) Gregorius magnus primus cepit appellare, quid mirum si Agatho scribens ad Imperatorem, Romam appellet seruilem serenissimi principatus eius, an periculum erat, si sic pontifex loqueretur, ne captiuus duceretur, aut in seruitutem veniret? an qui se seruorum seruorum Dei vocat, nō se vocat seruū Imperatoris si eundē seruū Dei ducit esse? quod si se eius seruū nominat, cur vereatur Romam, & Italiam nominare seruas, præsertim quarum esset Imperator? iam quod ait Pygius alienissimas esse ab stilo Pontificum Agathonis literas, cum stilus in genere dicendi cernatur, genus autem dicendi in sententiis, ac verbis, & eorum figuris, de verbis quidem nihil iudicare debuit, cum hæc ex Græcis translata sint, & quidem barbarissime, ad verbum, vt ipse, collatis Græcis, perspexi, res vero ac sententiæ quemadmodum non cōgruant Pontifici, nō assequor, cum grauissimæ sint, & sanctissime, cuiusmodi omnes pontificum sunt. Sed hætenus de ipsa historia seu actis concilii sexti œcumenici, nunc de centum & amplius canonibus qui huius Synodi esse feruntur, admonendi causa pauca dicam. Primum quo tempore editi sunt, est enim de eo inter auctores

cōtrouersia, deinde de eorum auctoritate, & qui mihi falsi esse videantur, ergo tempus diligentissime omnium, & verissime notauit Theophanes Græcus auctor, is cuius supra meminimus, qui fuit Tarasii Constantinopolitani syncellus, ita enim vocant, qui a temporibus Deocletiani Imperatoris vsque ad Michaëlem Leonis filium annales rectos, & simplices fidelissime perduxit. eum itaque locum totidē fere verbis Latine interpretabor, „ illud oportet nō ignorare, cassum & nugatorium esse, „ quod quidam dictitant, eos qui esse sexti concilii cano- „ nes apud ipsos falso feruntur, post. 4. annos editos fuisse, „ se, ut enim in ceteris omnibus falsitatis coarguuntur, ita „ in hac re quoque mentiuntur. Sic enim est vera tempo- „ rum notatio, habitum est sextum concilium maximum „ contra Monothelitas duodecimo anno Imperii Con- „ stantini, qui fuit Heraclii nepos, a mundo condito sex- „ ties millesimo centesimo septuagesimo secundo. Impe- „ rauit autem postea idem Constantinus aliis quinque „ annis, eo vero defuncto vita, imperauit eius filius Iusti- „ nianus annis. 10. quo cecidit, Leontius tenuit imperium „ triennio, Leontio successit Tyberius, qui Absimarus „ etiam est nominatus, fuitque is in imperio annis. 7. de- „ inde Iustinianus, is qui fuerat, expulsus, in imperium „ reductus est, imperauitque rursus sex annis, ut iam se- „ cundo anno huius posterioris imperii Iustiniani descri- „ ptos fuisse canones vel ex ipso tertio canone euidenter „ sit, in quo ita cautum est, Decernimus de concilii sen- „ tentia, ut qui bis uxorem duxerint, & ante hunc diem, „ qui decimus quintus mensis Ianuarii numeratur quar- „ tæ indictionis anni sexties millesimi centesimi nonage- „ simi noni in hac culpa fuerint, neque eam maculam elue- „ re voluerint, ut gradu moueantur &c. Hactenus Theo- „ phanes. 27. itaque annos a concilio habito vsque ad de- „ scriptos canones numerat Theophanes, & eum secutus imo interpretatus Anastasius, ratione vero tempo-

rum ex patriarchis inita. 28. ut idem quoque Theophanes indicat. Ex quo fit, ut quod ait Tarasius in. 4. actione. 7. concilii, quatuor aut quinque annis post sextam Synodum sancitos esse hos canones, id aut suppositum fit, ut Græci facere consueuerunt, quo maior auctoritas his legibus tribueretur, aut falso hoc crediderit Tarasius. de quo nihil præterea fit ibi disputatum, quia fortasse neque locus, neque tempus idoneum esset. & si mihi verisimilius videatur, sic Tarasium putasse, tum quod ita in omnibus exemplis legatur, tum quod Anastasius si suppositum esse cognouisset, vel existimasset, non dissimulasset suo more, aut in ipso loco, aut in proœmio, ubi de suppositis & falsis loquitur. Præterea cum dicunt graues auctores, falso quosdam existimare 4. annis post. 6. Synodum scriptos esse hos canones, nō de vulgaribus & ignobilibus auctoribus loqui putandi sunt. Anno vero post canones editos quinto, qui fuit primus imperii Philippici, consecutum est conciliabulum, quod sextum etiam appellatum est, in quo sacrum concilium sextum damnatum est, & sententia illa peruersa & hæretica de vnica Christi voluntate comprobata. ex quo rursus fit, ut falsum item sit, quod non nulli existimant, manasse hos canones ex hoc altero concilio sexto nefario. Iam de auctoritate horum canonum, si id concilium, ex quo hi canones prodierunt, œcumenicum fuit, ut frequenter quidem in iisdem ipsis canonicis appellatur, quis Pontifex Maximus interfuit? aut qui eius legati? aut quodnam potest esse œcumenicum sine illius auctoritate? signare se dicit Imperator Flavius Iustinianus infra sanctis. Papam Romanum, sed nomen tacet, deinde signant quatuor patriarchæ cum reliquis, nusquam pontifex, aut legati signant, quæ ratio quis iste papa sanctissimus? cur celas Iustiniane? Sed de his canonibus audi, quid Umbertous, quem supra meminimus Leonis noni ad Constantinopolitanos legatus fuisse

rit in libro quem aduersus calūnias Michaëlis patriar.
 Constan. & Leonis Acridani archiepiscopi Vulg. scri-
 psit ante annos quingentos, & amplius. Non autem
 mirum inquit, si Agathoni papæ, & cunctis patribus
 vestra imputatis deliramēta, & quæ aut corrupistis, aut
 finxistis capitula, cum etiā ipsi Domino Iesu Christo,
 & apostolis eius imputetis figmēta, vnde nos scientes
 sextam Synodum ad destruendam hēresim Monothelitarum,
 non autem ad tradendum Romanis nouas cō-
 stitutiones, congregatam, capitula, quæ nobis sub eius
 auctoritate opponitis, omnino refutamus, quia prima
 & apostolica sedes neque aliquando ea accepit, neque
 obseruat hactenus, quia ea aut nulla, aut, vt vobis li-
 buit, deprauata sunt, sicut deprauastis Ioannis Chryso-
 stomi, & Gregorii Theologi, & aliorum Orthodoxo-
 rum patrum dicta, & exhibuistis in eadem Synodo sex-
 ta. idem etiam scribens aduersus Nicetam, de Papa, in-
 quit, Agathone omnino scimus, quia neque sextæ Sy-
 nodo per seipsum præfedit, neque aliquibus capitulis
 eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt aduersus
 Monothelitarum hēresim, vos videte vnde hæc habea-
 tis, quia ecclesia Romana hactenus talia ignorauit. ha-
 ctenus Vmbertus. Præterea quod ait Tarasius eos-
 dem patres, qui interfuerant sexto concilio, reuersos
 esse Constantinopolim post quatuor aut quinque an-
 nos ad describendos eiusmodi canones, ego non in-
 telligo, quemadmodum iidem dicantur rediisse, quo-
 rum principes patres, hoc est legati abfuerint, aut cer-
 te si non abfuerunt, cur non signarunt, vt patriarchæ,
 imo alius iam pōtifex Romanus erat, alius patriarcha
 Constan. alia nomina patrum, alius item numerus, vt
 ex subscriptionibus, quæ extant, perspici potest. de quo
 etiā Anastasius admonuit. nō cohæret ista, omnia coar-
 guuntur. Iam illud leuissimū est quod ait, quidam Mat-
 thæus Monachus Græcus auctor horum canonū defen-
 sor,

for, nō esse verisimile tot religiosos patres mentiri vo-
 luisse, appellareq. in his canonibus, œcumenicū quod
 non erat. An non se patriarcha Constantinopolitanus
 œcumenicum appellat frequentissime, & appellatur a
 suis? quis ignorat quam vehemēter huius nominis glo-
 riam & splendorem semper illi affectarint? nihil igitur
 mirum, si concilium, in quo quatuor patriarchæ ade-
 rant, vt ipsi iactant, cum tot episcopis, non dico œcu-
 menicū, sed amplius quam œcumenicū, si meminisset
 libenter appellarent, quamquam ne patriarchas quidē
 interfuisse, aut hos approbasse canones, auctor est
 Anastasius, cuius rei argumentum esse, quod in illorū
 tabulariis publicis, quæ vocant archiua, non asseruarēt-
 tur. Itaque quod in nōnullis exemplis Græcis legitur
 in bula septimi concilii, Sicuti in sexto cōcilio œcume-
 nico fertur his scriptum verbis in quibusdam picturis
 venerabilium imaginum agnus præcursoris, & quæ se-
 quūtur in .83. canone, hoc facile mihi persuadeo suppo-
 situm esse ab eo, qui his canonibus auctoritatem sexti
 concilii œcumenici tributam esse voluit. Certe Anasta-
 sius qui summa fide & ex optimo exemplo Græco, vt
 de bibliothecæ Palatinæ magistro credere par est,
 Septimum concilium transtulit, quod in pontificis bi-
 bliotheca publica reliquit, non hoc legit, imo neque
 is qui nuper emisit idem septimum concilium in Ger-
 mania versum a se. quo fit, vt cum œcumenicum non
 sit, idem sextum dici non debeat, minora enim con-
 cilia non asciscuntur in ordinem maiorum, neque
 cum illis numerantur, cum ipsa pene innumerabilia
 sint. quod vero Gratianus ait .16. dist. dicere Ha-
 drianum sextam Synodum cum suis canonibus recipi-
 mus, falsum est, bona eius pace dixerim. Non enim Ha-
 drianus, sed Tarasius id scripsit. Sic enim Hadrianus in
 literis ad Tarasium missis, quæ in secūda actione septi-
 mi concilii descriptæ sunt, inuenimus autem in prædi-
 Ec

„ cta Synodica vestra epistola, quanta sit confessio & re
 „ cta fides vestra circa coetus sacros, & sex sacras Syno-
 „ dos, & erga venerandas & sacras imagines, in qua etiã
 „ clare est expressum quod in sextæ Synodi diuine & le-
 „ galiter prædicatis canonibus recipio picturam illam ve-
 „ nerãdam, in qua agnus digito præcursoris &c. Neque
 vero quia Hadrianus non refutauit, quod Tarasius ca-
 nones sextæ Synodi falso nominauit, protinus sequi-
 tur approbasse, esse illos sextæ Synodi, neque enim de
 eo tunc agere volebat, sed tenere vtcumque testimo-
 nium Tarasii, & cõfessionem de simulachris, qui qui-
 dem non aliter se eius cõsecrationem approbaturũ, ad
 Imperatorẽ, & ad ipsum Tarasium scripserat. sed in qui-
 ramus adhuc cur hos canones sextæ Synodi plerique
 Græcorum appellarint, cõstat enim non fuisse editos
 a sexto concilio, vt ipsi etiã Græci fatentur, sed ab alio
 aliquot annis postea congregato, quod iidem tametsi
 œcumenicum suo more, & ambitione falso vocent, ta-
 men sextum nunquam vere dicent, si sanctum esse vo-
 lunt, quoniam nunquam, idem concilium bis. numera-
 tur, nisi cum alterum eorum ratum est, alterum irritũ.
 sic duplex tertium Ephesinum, alterum sanctis. alte-
 rum, quod latrocinium appellatum est, duplex septi-
 mum, vnum nostrum, alterum hæreticorum, duplex
 octauum, religiosum alterum, alterum postea, vt prius
 Photianum & impium. Sic duplex sextum, vnum pro
 duabus voluntatibus Christi, alterum quinque annis
 post hos canones de quibus agimus, habitum contra
 prius sextum. Non enim sextum numerabunt, quia nõ
 putent numerandum esse sextum illud Agathonicum,
 neque quia, vt falso ait Gratianus, bis congregata sit
 sexta Synodus, cum nunquam aliqua Synodus bis con-
 gregetur, nisi cum semel non perficitur. vt cum septi-
 ma Synodus superiore anno cõcepta fuisset Constanti-
 nopoli, & statim ob tumultus concitatos dimissa, ac

dissoluta, iterum in sequenti anno inchoata & perfe-
 cta Niceæ. Quod si superius sextum concilium nõ fuit
 perfectum, quia non descripsit canones, ergo neq. con-
 cilium quintum sit, atque ita fiet, vt hac ratione non
 solum sextum concilium, vt ait Gratianus. sed quintum
 bis congregatum fuerit, si quidem ad describendos ca-
 nones quintæ & sextæ Synodi conuenerint postea pa-
 tres, vt iidem in ipso proœmio canonum testatur. Fiet
 etiã, vt hi canones non magis sextæ Synodi, quam quin-
 tæ appellari debeant, quod cum nonnulli Græci matu-
 rius considerassent, cautius vocarunt canones concilii
 πενθέκτου hoc est quinquæsexti. deinde, esto, vt ideo ite-
 rum conuenerint patres illi, vt canones videlicet, qui
 in quinto, & sexto concilio desiderati fuerant, conde-
 rent & sancirent, quæro, vtrum concilia superioribus
 temporibus habita dare potuerunt auctoritatẽ iis que
 nondum decreta erant, imo neque cognita? Certe cõ-
 cilium aliquod confirmare solet, & habere rata superi-
 orum conciliorum scita & decreta quoniam ea cuius-
 modi sint, perspecta habet, at quæ incerta sunt, & futu-
 ra, qui potest? quemadmodum igitur manare potuit
 œcumenici cõcilii auctoritas siue sexti, siue quinti ad
 hos canones? aut si non potuit, cur sextæ Synodi cano-
 nes nominantur & habentur? nam quod est in primo
 canone septimi concilii, sex concilia cum suis canoni-
 bus confirmamus, non ideo necesse est quodque illorũ
 canones edidisse. Neque enim quintum, quod vnum
 est ex illis sex, vltos edidit, sicut neq. sextum, Et si quic-
 quid decernit cõcilium, canon est, & nominari potest,
 vt quinti cõcilii decretum fuit, quod fuerat prius Aga-
 peti pontificis, & Synodi Cõstantinopolitanæ, scilicet,
 non esse addendum trisagio cruci affixum contra Pe-
 trum Apamiarum episcopum, & Theodorum Antio-
 chiæ, eiusque discipulos, item quartũ concilium, eius-
 que decreta sancta esse. Tum sexti cõcili canon est, esse

duas Christi voluntates aduersus Sergiũ & Pyrrhum, ac cæteros. Itaque conuenire potest hac ratione, in omnia concilia, quod dicitur, sex concilia cum suis canonibus siue decretis confirmamus &c. Ergo cum hi canones (vt satis docuimus) neq. illius prioris sexti concilii sint, aut dici debeant, neque vllius œcumenici, relinquatur, vt si cuius sint, cõcilii minoris sint, qui quidem, posteaquam sedis apostolicæ eis auctoritas accessit, publicam auctoritatem habent, accessit autem auctoritas ex primo canone septimi cõcilii, quæ (inquit) a sex conciliis maioribus, reliquisque minoribus ad huiusmodi canones describendos cõgregatis statuta sunt, a sanctisque patribus, ea comprobamus, scilicet, probantur ii canones, qui neque prioribus decretis pontificum, aut bonis moribus, aut rectæ fidei, aut vetustæ, & probatæ consuetudini atque ecclesiasticis traditionibus repugnant, id quod etiã in canonibus sanctorũ, patrũ vt Basilii & aliorum intelligendum est. Neque enim falsi canones, qui aut postea suppositi sunt ab aliis, aut deprauati, aut ab ipsis auctoribus perperã instituti, & compositi, aut certe iam desiti, a pontificibus, quamuis taceant, & verbis non refellant, sancuntur, quos satis est, si ipsa veritas, & recta ecclesiæ constitutio statim coarguat, vt exẽpli causa, canon de non vescendo sanguine, qui inter hos. 102. irrepfit, aliique huiusmodi, in his quos nos ordine notabimus, vt reliqui, qui ad ecclesiæ ædificationem accõmodi fuerint, sancti habeantur, ex eorumque numero, quos primus canon septimæ Synodi approbat. Ac primum vt inde canones falsos notare aggrediar si quid in oratione ad Iustinianum, quæ ante hos canones posita est, & prophonica inscribitur, aut etiam alio in loco assentatorie, magis quam vere de Imperatore dici videatur, concedatur id ingeniis Græcorum nullis magnificis verbis parcentium ad conciliandã gratiam, neq. enim

si quid non rectum est, continuo cõmentitium est, & fictum. Secundus canon iniustus est qua parte. 85. canones apostolorum comprobant, cum tamen Zepherinus pontifex, qui horum canonum ætatem quingentis prope annis antecessit. 60. sanxerit, quos eisdem Leo nonus. 350. annis his canonibus posterior in .50. distributos, in epistola quam ad Michaëlem patriarcham Constantin. & Leonem Acridanũ archiepif. Vulg. scripsit, cõfirmarit, ad quos quidem procedente tempore accesserunt alii ex libris ordinationum Clementis Romani, qui cum infinitas apostolorum sanctissimas, grauissimasque sanctiones continerent, esset que is auctor nobilissimus, & pontifex Maximus, proditũ literis est, extitisse hæreticos, qui vt falsos quosdã canones sub tãto nomine sancirent, diuinos illos libros contaminarunt, imo ipse Clemens hoc testatur lib. 7. ordinationum. c. 17. his verbis, scimus (inquit) quia Simon, Cleobius, & Iudas libros in nomine Christi, & discipulorum eius: quos circumferunt, ad seductionem vestram conscripserunt, & eorum qui diligunt Christum, & nos feruos eius, ex his libris Clementis amplius centum canones in plerisque libris Græcorum canonum feruntur, alii inscripti canones Petri, & Pauli, alii separatim Pauli, sanctissimi illi quidem omnes paucissimis exceptis illa hæreticorum arte fabricatis, & cõfufis, quales sunt nonnulli ex his. 85. quos quidem tenere nullo modo licet, tum propter repugnantia decreta pontificum superiorum, tum propter Romanę sedis ecclesiasticam consuetudinem, & apostolicam traditionem, vt suis locis ostẽdemus. Errat itaque Gratianus qui nonnullorum sententiis de apostolorum canonibus parum acri iudicio inter se comparatis, falso demum colligit non esse hos qui feruntur apostolorum canones inter apocryphos scribendos, quia inquit, Hadrianus sextam Synodũ ait, cum suis canonibus recipio, at sexta hunc nume

rum canonum. 85. præscribit, eum igitur numerum approbat Hadrianus. Equidem non illud dicere Hadrianum, sed Tarasium potius dixisse supra ostendi, neque est alia utputo canonica horum canonum approbatio, quam quæ in primo canone. 7. concilii continetur. Eo enim confirmantur præter maiorum conciliorum scita & leges, omnium etiam minorum, item omnium sanctorum patrum decreta, ac canones, iis videlicet exceptis, qui non sunt probabiles, cuiusmodi sunt hi quos dixi, aliique huiusmodi. Errat. inquam, Gratianus, de quo sæpe admoneo, quod videam hunc fere omnes se qui magistrum, & quod ex hoc eius volumine petitur, velut ex oraculo petitum haberi. qui ut plurima eademque optima in vnum congescit, ita nonnunquam non magno delectu & iudicio. Extrema vero pars huius canonis ab euangelica, & apostolica, atque ecclesiastica regula de unitate baptismi aliena est. Siquidem canonem Cypriani de baptismo Nouatianorum schismaticorum repetendo approbant isti patres, qui aut euangelicam veritatem de unitate baptismi ignorarunt, aut si non ignorarunt, consuetudinem regionis catholicæ veritati anteposendam esse celsuerunt. aiunt enim sic, præterea confirmamus Cypriani episcopi & martyris, ac Synodi eius canonem, qui in locis episcoporum secundum consuetudinem illis traditam valuit, & viguit. de quo quidem canone satis nunc fuerit repetere, quæ sanctus Augustinus in epi. ad Vincetium Donatistam scripsit. Cyprianus autem (inquit) sensisse aliter, quam forma, & consuetudo habeat ecclesiæ non in canonicis, sed in suis, & in concilii literis inuenitur, correxisse autem istam sententiam non inuenitur, non congruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocínio carere noluerunt. & paulo post, porro autem Cyprianus aut non

„ sensit, quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea corre-
 „ xit in regula veritatis, aut hunc quasi neuum sui candi-
 „ dissimi pectoris cooperuit vberè charitatis. & paulo
 „ post, accessit huc etiam, quod tanquam farmentum fru-
 „ ctuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purga-
 „ uit pater falce passionis & aduersus Petilianum humani
 erroris fuisse hoc dicit. Basilius vero magnus fortas-
 se significare videatur, non omnino sic Cyprianum sen-
 sisse, quia ita res esset, sed quia ita œconomiae ratio fa-
 cere postulare, postquam enim Cyprianum, & Firmi-
 lianum, & hunc eorum canonem, & rationem cano-
 nis, qua niti quodammodo videbantur, meminit & en-
 cratitarum baptismum, quia suum morem, & ritum
 baptizandi deprauarant, pro infecto habendum esse iu-
 dicauit, statim subiunxit, quamquam si hoc publicam
 œconomiam, & statum perturbaturum esse videatur,
 utendum rursus consuetudine, sequendique ii patres,
 qui nostra œconomice gesserunt, quod quidem mihi
 de Cypriano, & Firmiliano dicere videtur, qui se pro-
 pter concordiam accommodarunt ad consuetudinem
 regionis, quam patres in hoc canone dicunt. non esse
 autem baptismum hæreticorum iterandum, ut alios
 taceam, fortissime defendit aduersus Parmenianum
 Donatistam optatus Afer libro quinto. Sequitur ter-
 tius canon, quo continentiam sacri ordinis in eccle-
 sia Romana non quidem probant isti patres, ut fortas-
 se nonnullis videri possit, imo nimiam eius, ut existi-
 mant, seueritatem, & ut ita dicam rigorem improbant,
 dum illum, ut promittunt, temperare audent. Quare
 qui putarint cœlibatum, sic enim appellant continen-
 tiam trite magis quam Latine, & proprie, cum cœlibes
 tantum sint, qui neque sunt, neque fuerunt mariti, qui
 inquam putarint cœlibatum ecclesiæ Latine duriorē
 esse quam Græcæ, cum tamen eadem sit lex continentiæ
 omnibus sacri ordinis hominibus a Deo sancita, ut sta

tim docebimus, si inquam facile hunc canonē proba-
 rint, præsertim si locum epistolę Clementis sic legant,
 » vt a quibusdam catholicis legi video, ad Dominica my-
 » steria tales eligantur, qui ante ordinationem coniuges
 » suas non nouerunt, cum legendum sit, nouerunt. scili-
 » cet, si semper continere noluerint. sic enim legit, & in-
 » terpretatur doctissimus Umbertus Cardinalis, Leonis
 » noni legatus ad Constantinopolitanos, in libro con-
 » tra Nicetam. verum de huiusmodi cœlibatu plura di-
 » cam in notatione proxima canonis. 13. etsi enim de eo
 » satis multa, & a multis scripta sint, tamen vtrum hæc
 » traditio apostolica scripta sit, an non sit scripta, de eo
 » nihil, & scire scriptam esse, hoc præsertim tempore
 » permagni refert non tam quidem apud nos, qui per
 » Dei gratiam, quæcunque ecclesia catholica accepit, &
 » tanquam depositum fidelissime custodit, ab apostolis
 » siue per sermonem, siue per epistolam tradita, in eodē
 » honore habemus, & eodem studio, ac pietate colimus,
 » sed apud eos, qui non sic sunt. atque vtinam iis, qui de
 » apostolicis & ecclesiasticis traditionibus docte & co-
 » piose scripserunt, in mentem veniret aliquando, vt no-
 » tarent, atque distinguerēt scriptas, a non scriptis, esset
 » enim hoc cum vtile ad intelligēdas scripturas, tum ad-
 » uersus hæreticos multum valeret, qui cum fide, & sim-
 » plicitate careant, scripta verba semper efflagitant. Er-
 » go decimus tertius canon totus est profanus insolentię,
 » & impudicię plenus ab iis editus, qui conuersi in
 » vaniloquiū, & volentes esse legis doctores, ac secundū
 » desideria sua ambulare, sanciant, ne nō liceat maritis sa-
 » cerdotibus dare operam liberis, in eoque ecclesię Ro-
 » manę, quæ cæterarum ecclesiarum princeps, & magi-
 » stra est, sanctam, & incorruptam consuetudinem con-
 » iugalis continentię reprehendentes interpretantur
 » eandem ecclesiam Romanam canonem quintum apo-
 » stolorum aut non intelligere, aut seruare nolle. Quo-
 » niam

- niam inquit intelleximus morem esse ecclesię Ro-
 - manę loco canonis, vt videlicet qui in numerū, atque
 - ordinem diaconorum & presbyterorum eligendi sint,
 - non amplius cum vxoribus suis rem se habituros pro-
 - fiteantur, nos veterem apostolicę, eiusdemque perfe-
 - ctę regulę legem ac canonem secuti, cōiugia legitima
 - sacerdotum posthac firma rataque esse volumus, ita vt
 - neque eos disiungamus, neque consuetudine vxorem
 - commodis temporibus priuemus, & quæ sequitur si-
 - mili errore plena, vt ab iis profecta, qui fabulis atten-
 - dentes, neque intellexerunt quæ loquerentur, neque
 - de quibus affirmarent, ii namque sunt, qui ex libro . 6.
 - apostolicarum ordinationum Clementis canonem de-
 - cimū septimū a Nicolaitis suppositum quasi apo-
 - stolicum canonem arripuerunt. hi enim carnales nu-
 - ptias concedebant altaris sacri ministris, imo defende-
 - bant non licere illis post manus impositionem absque
 - vxore esse. Sed recitemus canonem, vt eum Niceta pe-
 - ctoratus Græcus auctor & huius canonis defensor ci-
 - tat, episcopum, & presbyterum, & diaconū dicimus,
 - qui vnā habet vxorem, ordinari, quamuis viuant eo-
 - rum coniuges, quamuis defunctę, neq. licet eos post
 - manus impositionem innuptos esse, neque in super ad-
 - nuptias ire, aut si nupserint, alias amplecti. sed suffice-
 - re eis, quas habent, cū ad ordinationem venerint, non
 - ne ex hoc canone expressa est Græcorum consuetudo,
 - qua eos, qui ordinandi sunt, interrogant, vtrum ha-
 - beant vxores? qui si non habere responderint, cogūtur
 - prius ducere, deinde manus impositionem accipere?
 - Conuenienter huic canoni Nicolaitarum acceperunt
 - illud ex epistola Clementis quasi ab eodē auctore pro-
 - fectum, ministri altaris ad Dominica tales eligantur
 - » officia, qui ante ordinationem cōiuges suas nouerint.
 - » Cum tamen sic sit intelligendū, qui ante ordinationē
 - coniuges suas nouerint, scilicet, si semper continere

» noluerint. Præterea illum apostolorum canonem quin-
 » tum, ne episcopus, aut presbyter, aut diaconus uxorem
 » suâ prætextu religionis eiiciat, sic intellexerunt, quasi
 eo prohibitum sit, ne presbyter, aut diaconus uxorem
 suam consuetudine carnali priuet, cum potius prohi-
 beatur, ne eiiciat eam non quidem a cōsuetudine cor-
 poris, sed a cura victus scilicet, & vestitus, non vt cum
 ea cubet, sed vt eâ alat, & vestiât. alioqui quomodo do-
 mui suæ bene præesse sciet, aut filios habere subditos
 cum omni castitate, uxore sua inhumane eiecta? dein-
 de non licere a maritis votum continentiae vxoribus
 saltim consentientibus postulare, probant isti patres,
 quia scriptum sit in euangelio, quod Deus coniunxit,
 homo non separet, carnaliter tantum hoc intelligen-
 tes, quod Dominus ipse dignatus est exponere. qui. n.
 Phariseis quærentibus, vtrum liceret viro dimittere
 uxorem, id est, separari, tandem concluderat responso-
 nem, inquiens, quod ergo Deus coniunxit, homo non
 separet, ipse inquam de eodem quærentibus disci-
 pulis, in eandem sententiam respondit, quicumque di-
 miserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium
 cōmittit super eam, etsi vxor dimiserit virum suum, &
 alii nupserit, mœchatur. Similiter intellexerunt carna-
 liter illud Pauli, alligatus es uxori, noli quærere solu-
 tionem, quod quidem Paulus magistrum imitatus simi-
 liter interpretatus est, subiunxit enim in fine capituli,
 mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit,
 quod si dormierit vir eius, liberata est a lege, cui vult
 nubat. vt similiter illud intelligamus, vir alligatus est
 legi cōiugii, quâdiu vxor eius viuit, si autem vxor eius
 dormierit, solutus est, quam velit, ducat. Est enim lex
 matrimonii æqualis vtrique, quod idem apostolus do-
 cuit, mulier (inquit) sui corporis potestatem non ha-
 bet, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem nō
 habet, sed mulier. Præterea laudant huius canonis au-

ctiores, canonem. 23. Carthag. Concilii, quo aiunt ho-
 nestati clericorum cautum esse, quia iubeat, vt illis fal-
 so videbatur, cum erunt sacra operanda, ab vxoribus
 abstinere, cum vellaicis similiter apostolus præcipiat,
 abstinere ex consensu ad tempus, vt vacent orationi,
 & iterum reuerti in idipsum. sed esto ita decreuisset
 Synodus Cart. quale quælo iudicium est, canonem ec-
 clesiæ particularis, id est, Carthaginensis, canoni & re-
 gulæ ecclesiæ Romanæ catholicæ, id est, quæ caput est
 omnium ecclesiarum velle anteponere? & non solū an-
 teponere, sed ecclesiam Romanam accusare, & Cartha-
 ginensem sequendâ sancire? at nunc bene habet, quod
 non ita decreuit Synodus Carthaginensis, vt isti patres
 spiritu impudicitiae correpti interpretati sunt, sed po-
 tius vt subdiaconi, diaconi, & presbyteri, quisque eo-
 rum in suo ordine, aut vt est in vetere canone Latino
 secundum propria statuta ab vxoribus suis abstineant.
 itaque quod illi dixerunt κατ' ἰδίον ὄρον, sic isti patres
 acceperunt, quasi dictum esset vt quidam eorum inter-
 pretatus est, κατὰ τοὺς ἐφημέριον καὶ τὸν καιρὸν τῆς λειτουργίας,
 id est cum instaret tempus ministerii, ac sacrificii, in
 ordine inquam vicis suæ, sicut de Zacharia vetere
 sacerdote scriptum est. Similiter decreuit secunda
 Synodus Carthaginensis. c. 2. nisi quod in eo canone
 subdiaconi sunt præteriti. ita. n. habet, vt presbyteri,
 diaconi & episcopi in omnibus cōtinētes sint, & se ab
 vxoribus abstineant, vt quod apostoli inquit docue-
 re, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq. custodiamus.
 Docuerunt autem non solum sermone, sed scriptura.
 imo ipse Dominus prius docuit. est enim hæc diuina
 & apostolica traditio non quidem ἀγραφον vt plerique
 falso putant, quamquam ne sic quidem minoris esset
 auctoritatis, sed quo certior, clariorque res esset, ἐγγρα-
 φον, scripta scilicet in euangelio, & epistolis Pauli. prius
 enim hoc Christus prædicauit, & præcepit apostolis, ac

» per eos nobis. Cauete inquit, ne grauetur corda uestra
 » crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, siue vt Leo
 magnus in sermone. 8. de ieiunio decimi mensis inter-
 » pretatus est, cogitationibus sæcularibus, qui statim
 subiunxit, quod utique præceptum ad nos specialiter per-
 » tinere cognoscimus, ne quemquam curis sæcularibus
 » inueniat implicatum, deinde Paulus huius præcepti me-
 » mor, scribens ad Timotheum, cum in priori epistola eum
 docuisset, presbyteros, atq. episcopos debere esse ido-
 » neos ad docendum, in secunda epistola præcepit, vtque
 ipse Timotheus ex Paulo didicisset, hæc eadem trade-
 » ret presbyteris suis ad docendum alios, sicut scriptum
 est in Malachia propheta, labia sacerdotis custodiunt
 » scientiam. hoc enim significauit, cum dixit, commenda-
 fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios doce-
 » re, quibus statim præcepit, ne se implicarent sæculari-
 bus negotiis, subiungens, nemo militans implicat se ne-
 » gotiis sæcularibus, vt ei placeat qui se probauit. sic ma-
 gni auctores tum Græci, tum Latini interpretati sunt,
 » an vero sit sæculare negotium dare operam liberis, quis
 nisi Nicolaita quispiam dubitet? quod si est negotium
 » sæculare mercatura, agricultura, tutelæ, curationes te-
 stamentorum, quæ clericis prohibita sunt, quanto ma-
 » gis fuerit curare quæ mundi sunt, quomodo placeant
 vxori? quod necesse est euenire iis omnibus, quicunq.
 » se cum vxoribus suis miscere volunt. Præterea in prio-
 ri epistola ad eundem Timoth. docens, atque descri-
 » bens qualis episcopus, aut presbyter esse deberet, suæ
 domui, inquit, bene præpositum, filios habentem sub-
 » ditos, non dixit generantem, sed habentem, vt recte
 cum alii, tum Hieron. & Ambrosius annotarunt. dein-
 » de addidit, cum omni castitate, quod quidem non ad
 filios tantum, vt aliis fortasse videri possit, pertinet, vt
 » scilicet quamdiu in potestate patris sunt, continentem
 » sint, aut abiiciantur, sicut in eadem epistola dixit, filios

esse a matre in fide, dilectione, & castitate continen-
 » dos, nõ inquam ad filios tantum pertinet, sed ad ipsos
 etiam episcopos, & presbyteros. ita vt illa omnis casti-
 » tas, quam apostolus dicit, horum quoque continentiam
 a suis vxoribus significet. sic sentit sanctus Hierony-
 » mus scribens aduersus Iouinianum, explanans enim
 » sibi hunc ipsam Pauli locum, filios habentem subditos
 » cum omni castitate, vide, inquit, quanta pudicitia siue
 » castitas exigatur in episcopo, vt si filii eius impudici
 » fuerint, ipse episcopus esse non possit, & sic offendat
 » Deum, vt offendit Eli, qui corripuerat quidem filios,
 » sed non abiecerat. idcirco paulo infra, Diaconos, in-
 » quit, similiter pudicos, id est, continentem etiam a suis
 » vxoribus. quemadmodum vero similiter pudicos, siue
 castos esse diaconos præciperet, aut quæ esset hæc simi-
 » litudo, si nihil de castitate episcoporum, & presbytero-
 » rum præcepisset apostolus? aut vbi præceperat, nisi vbi
 » præcepit episcopis & presbyteris, filios habere subdi-
 » tos cum omni castitate? Deinde subiungit, Et mulieres
 » similiter pudicas, id est continentem etiam a suis viris.
 » præcipit autem hoc Diaconissis, quarum ministerium
 » scribit sanctus Epiphanius versari solitum in inspicien-
 dis, cum opus esset, & lauandis corporibus mulierum
 » propter honestatem, quas ecclesia sui temporis huius
 loci Pauli optima interpret ex virginibus, vt ipse testa-
 » tur, aut continentibus, aut viduis eligebat, de quibus
 » idem apostolus, vidua inquit, eligatur non minus sexa-
 » ginta annorum. Ergo cum dicat apostolus, Diaconos si-
 » militer pudicos, siue castos, & mulieres similiter ca-
 » stas, eodem vtens verbo, non est dubitandum, quin ad
 » ipsos quoque presbyteros, & episcopos referat, quod
 » dixit supra filios habentem subditos cum omni castita-
 » te. quod iam clarissime, & accuratissime præcepit in
 » epistola ad Titum, cum oportere ait, episcopum esse ca-
 » stum, sanctum, & continentem, tribus vocabulis idem

vt mihi videtur, præcipiens, quo necessitatem rei maxime declararet, *σώφρων* enim castum significat, item *ἀγίος* castum, & impollutum, vt Dionysius Areop. in diuinis nominibus annotauit, vnde, vt beatus martyr Sixtus secundus in libro de castitate ait, deriuata est egregia illa Græcorum sacerdotum ante communionem præfatio, *Ὁ ἅγιος τῶν ἀγίων*, id est, sancta sanctis, vt intelligat, inquit, qui se non sanctificatum agnouerit, sancta sibi non debere contingere. vtrumque horum verborum declarauit apostolus addens tertium illud verbum continentis, quod nullam iam neque ambiguitatem, neque obscuritatem haberet. Rursum in eadem epistola præcipit. c. 2. presbyteri vt sint pudici, & casti, & anus similiter, diaconissas dicit, quas, vt recte sanctus Epiphanius obseruauit, non presbyteridas, sed presbyteridas appellauit, ne aliquid muneris sacerdotalis in ecclesia administrare existimaretur. Item paulo infra, quod quidem episcopis, & presbyteris, ac ministris ecclesie conuenit, vt abnegantes, inquit, impietatem, & secularia desideria, caste, & pie viuamus in hoc seculo. quæ autem desideria, seu vota secularia dicat hoc loco apostolus, interpretari mihi satis videtur sancta Dei ecclesia, quæ hypodiaconos, qui est primus ordo sacer, his verbis cum ad ordinationem accedunt, de castitate, quam deinceps perpetuo seruare debet, admonet eundem apostolum secuta interpretem, qui statim subiungit post secularia desideria, ut pie, & caste viuamus, ita vt pietas respondeat abnegationi impietatis, castitas vero abnegationi desideriorum secularium. ergo sic admonet ecclesia hypodiaconos, antequam fiant, Ha-

stenus liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad secularia vota, siue desideria transire, id est, vxores ducere, aut ductis vti. Deinde sequitur, quod si hunc ordinem susceperitis, non amplius licebit, quod statim, Paulum, vt dixi, secuta interpretem, declarat subiungens, sed ca-

stilitatem Deo adiuuante perpetuo seruare oportebit.

Præterea beatus Petrus præcipiens episcopis, & presbyteris, sobrii, inquit, estote, & vigilate, quia aduersarius vester tanquam Leo rugiens, circuit, &c. scilicet veteres sacerdotes, quibus non semper licebat ministrare in templo, cum ministrandi vices & partes obibant, ab vxoribus se continebant, & neque vinum, neque ficeram, neque omne, quod inebriare poterat, bibebant, quia in omni eo luxuria esset, sicut ait apostolus, nostris vero presbyteris, & ecclesie nostræ ministris cum semper liceat ministrare in templo, & fere semper necesse sit, præcipit apostolus Petrus semper esse sobrios, vt semper possint esse continentes, id est semper ab omni eo temperare, quicquid libidinem provocare potest. Hoc enim puto significare verbum *ἡσυχία* conuenit cum hoc, quod apostolus Paulus præcipiens, qualis deberet esse episcopus, & presbyter, sobrium cum pudico coniunxit, & quod Dominus in euangelio præcipiens apostolis, & per eos nobis, ne inquit grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, quod est sobrios esse. deinde sequitur, & curis, siue cogitationibus huius vite, quod quidem in primis ad coniugium pertinet, quod Paulus mihi explicasse videtur, qui enim, inquit, cum vxore est, cogitat, quæ mundi sunt. pertinent quoque secularis curæ ad auaritiam, quæ coniuncta est cum gula, & libidine. tolle enim, inquit, Hieronymus, luxuriam, nemo queret diuitias, quarum vsus aut in ventre est, aut sub ventre. Iam quod sequitur in epistola Petri, postquam præcepit sobrios esse, & vigilare, quia aduersarius, inquit, vester tanquam leo rugiens, circuit, &c. hoc inquam simile mihi esse videtur, atque illud Pauli de incontinentibus, ne tentet vos Satanas, vt. n. incontinentibus tentatio est accedere ad alienam, sic cōsecratis tentatio est etiam accedere ad suam. verum huiusmodi castitatem, & continentiam etiam ab vxore

propria clarissime præcepit. i Cor. c. 9. quia. n. præceperat generatim omnibus, sic currere, vt comprehenderent, id est legitime certare, vt coronaretur, quod quidem omnibus conuenit, quorum vna est fides, & vna spes vocationis, sunt aut duo ordines hominum *ἱερωτικῶν καὶ αἰσχρολογικῶν* id est, sæcularium, & renunciantium sæculo, a quibus, vt est in euangelio, plus petetur, quia multum eis commendauerunt, idcirco conuenienter iis, quæ tractauerat a principio capituli de prædicatoribus euangelii, qui esse debent sacerdotes, subiunxit, omnis, qui in agone contendit, quem scilicet in epist. ad Tim. 2. cum milite comparauit, ab omnibus se abstinere, ab omnibus inquam, quæ impedire possunt *τὸ ἀποστρέφειν καὶ ἀπειθεῖν*, vt idem apostolus dixit de virgine, id est facultatem semper obsecrandi, vt vetus interpret vertit, sententiam magis, quam verba exprimens, siue vt Hier. aduersus Iouinianum interpretatus est, quod intente facit seruire Domino, & semper esse sollicitum de eius voluntate, neque vero ego primus hunc locum sic interpretandum esse putavi, sed ante me, imo ante multa sæcula sanctus Ephrem Syrus in scripturis sanctis eruditissimus, cuius scripta post lectionem scripturarum in ecclesia olim, vt Hieronymus testatur, recitabantur, is ergo scribens ad quendam monachum, qui aiebat, melius esse nubere, quàm vri, interpretabor Latine, audi inquit apostolum dicentem, volo omnes homines esse, sicut ego sum, sed vnusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic alius autem sic, scilicet distinxit duos ordines hominum *ἱερωτικῶν καὶ αἰσχρολογικῶν* id est sæculares, & renunciantes, cum dixit, vnusquisque proprium charisma habet a Deo, alius quidem sic, alius autem sic, *ἱερωτικῶν* quidem, id est, sæcularibus committit quod ait, propter fornicationem autem vnusquisque uxorem suam habeat, & rursum honorabile coniugium in omnibus, fornicato-

res

res autem, & adulteros iudicabit Deus, *ἀποτακτικοῖς* vero hoc est, renuntiantibus mandat illud, quod idem ait, omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, & paulo post, ergo vt supradiximus, sæcularibus quidem commisit nubere legitime, renuntiantibus autem mandat continere, & quidem continere legitime. duos itaque ordines demonstrauit Apostolus, tu autem monache vide, in vtro sis positus, & quod signum, aut notam indueris, quæ vota feceris, & quæ pacta cum Deo constitueris. secundum enim pactiones, & sponsiones tuas rationem reposcet Dominus, sicut ipse dixit ex ore tuo iudicabo te. ergo vt supra diximus, sæcularibus commisit legitime nubere, renuntiantibus vero hoc, quod est, continere, & legitime continere mandauit. quod si omnibus commisisset illud, melius nubere, quam vri, nemo vnquam castitatis virtutem coluisset, non Elias Thebites, non Elissæus, non Ioannes, non ceteri omnes, quicunque se castrauerunt propter regnum cælorum, & castam carnem Deo seruarunt, nunquam apostolus continens fuisset, nisi in præmium aspexisset. hæc sanctus Ephrem, & alia, quæ sequuntur, ne omnia vertam latine. ex his paucis licet intelligere, quemadmodum intelligendum sit, quod importune carnales homines & imperiti obiicere solent ex Gen. crescite, & multiplicamini, scilicet dictum esse hoc non quidem *τοῖς ἀποτακτικοῖς*, id est, renuntiantibus, sed *τοῖς ἱερωτικοῖς*, id est, sæcularibus idque secundum legem honorabilis coniugii, & tori immaculati. Est itaque sacrorum ministrorum ecclesiæ catholicæ continentia præcepto, atque iure diuino scripto sancita. tenentur, inquam, episcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi continere se perpetuo a suis vxoribus quas ante habuerint, idque præcepto Christi per Christum, & apostolos prædicto, & ab ipsis scripto, imo neque hi solum tenentur, sed quicunque se castrauerunt propter regnum cælorum.

Gg

hoc interest, quod in his ex voluntate vouentis nata est necessitas seruandæ castitatis & continentiæ in illis vero, siue. voueant, siue non voueant, vt Græci fortas-
 » se excusent, ex præcepto diuino propter ordinem sa-
 » crum, in quem sponte dicantur. quod satis significat or-
 » dinator noster, cum ait, Fratres dilectissimi ad sacrum
 » subdiaconatus ordinem promouendi, iterum, atque
 » iterum considerare debetis attente, quod onus hodie
 » appetitis, hæctenus enim liberi estis, licetq. vobis pro
 » arbitrio ad sæcularia vota transire, quod si hunc ordi-
 » nem susceperitis, amplius non licebit, a proposito resi-
 » lire, sed Deo, cui seruire regnare est, perpetuo famula-
 » ri, & castitatem illo adiuuante seruire oportebit, atq.
 » in ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde
 » dum tempus est, cogitate, & si in sancto. proposito per-
 » seuerare placet, in nomine domini huc accedite. tam-
 » et si profecto, his ita a nostro ordinatore propositis, at-
 » que denunciatis, qui accedunt, licet non verbis, re ipsa
 » tamen. & facto promittant castitatem. ita vt qui deinceps
 » non seruarint, & præcepti violati, & fidei fractæ
 » rei sint. huiusmodi est fides illa adolescentiorum vidua-
 » rum, quæ eliguntur in ecclesia, quas apostolus ait nu-
 » bere volentes, damnationem habere, quia primam fi-
 » dem negauerunt, atque ideo vitandas esse, & cauend-
 » dum, ne eligantur. Statim enim vt eliguntur ad genus
 » illud ministerii, tenentur præcepto Pauli castitatem
 » seruire. quam eo ipso, quod se eligi patiuntur, ex pacto
 » quoque promittunt, & vouent. quod etiam ex oratio-
 » ne, quæ adhibetur in electione, siue ordinatione diaco-
 » nisse perspicui potest. Hinc intelligere licet, quod passim
 » dici solet, sed raro explicari, annexum esse ordini sacro
 » votum castitatis, id est, qui in ordinem sacrum ingre-
 » diuntur, statim teneri lege diuina castitatem seruire
 » ratione ordinis sacri, quod ex Synodo Carthag. 2. sum-
 » ptum mihi esse videtur. Ibi enim dicuntur ordines sa-

cri συμπληρωμένοι δεσμοῖς τῆς ἀγνείας διὰ τὴν καθήκοντα, id est,
 » connexi, siue implicati vinculo castitatis propter con-
 » secrationem. nõ ergo sunt audiendi, qui dicunt, si sine
 » delectu vllõ eligantur homines ad sacerdotium, vt fere
 » eligi videmus, necessarium esse, relaxare eiusmodi ho-
 » minibus legem calibatus, quæ quidem non indulgẽtia
 » esset, sed crudelitas, & corruptio prædicationis euãge-
 » licæ, atque apostolicæ. castitas enim sacrorum ordinũ
 » præcepto & lege diuina sancita est. & scriptura solui nõ
 » potest, hoc sensit quoque Dionysius Areop. Pauli apo-
 » stoli discipulus, is enim in Hierarchia eccle. de myste-
 » rio pontificalium cõsecrationum, signum, inquit, cru-
 » cis, quo episcopi, sacerdotes, & ministri, id est, diaco-
 » ni, & hypodiaconi signantur, designat omnes pariter
 » carnales appetitus debere eos omnino cõtinere, atque
 » ἀνεργητικούς habere, idcirco autem omnes pariter appe-
 » titus carnales dixit, vt etiam appetitum carnalem con-
 » cubitus cum vxore propria complecteretur, quod quĩ-
 » dem non ab alio, quam ab apostolis didicit, & a Chri-
 » sto per apostolos. Idem sensit Sixtus. 2. papa, & martyr
 » sanctissimus in libro de Castitate, in quo sapientissime
 » atque grauissime totum fere. 7. caput. 1. Cor. explana-
 » nans, præcipit, inquit, apostolus coniugibus paruo tẽ-
 » pore incõtinentes esse, vt maiori spatio orationi vaca-
 » re possint. id enim significare ait illud, nolite fraudare
 » inuicem nisi forte ex cõsensu ad tempus, vt vacetis ora-
 » tioni, vnde statim de nõ continendo a propria vxore,
 » quia id ab oratione retrahat, affirmat his verbis, nõ ad-
 » mittit, inquit, incõtinentia ad officium sacerdotii, sed
 » potius necesse est, vt sacerdotes sint continentes, scili-
 » cet necesse esse dixit secundum scripturam Pauli, hanc
 » enim totus in eo libro summo studio & diligentia no-
 » bis interpretatur. Rursus idem Sixtus, postquam, in-
 » quit, Iesus cepit docere, omnes eius discipuli, aut con-
 » tinentes fuisse inueniuntur, aut virgines, vt enim Hie-

„ ronymus aduersus Iouinianum scribit, postquam disci-
 „ pulus Christi factus est Petrus, socrum eius legimus,
 „ vxorem eius non legimus, clementis. n. inquit periodi-
 „ que scilicet de vxore Petri narrant, apocryphæ sunt. ac
 „ rursus idem Sixtus sacerdotes cum angelis comparas,
 „ quos inquit Deo assistere, & Deo hostias offerre non
 „ nisi continentes licet. neque vero, ne quis hic cauille-
 „ tur, continentes dicuntur, aut sunt, qui ad tempus con-
 „ tinent, quod vel sæcularibus, qui vxoribus suis vtun-
 „ tur, necesse est, qui quidem simpliciter incontinen-
 „ tes sunt, & dicuntur, non autem cōtinentes, aut casti,
 „ vt idem quoque sanctus pont. Sixtus tradit. Equi-
 „ dem propter castitatem, quam seruare tenentur pre-
 „ sbyteri, ac sacri ministri, non solum propter officium,
 „ & munus, credo appellatos esse ab Apostolo angelos
 „ eo præsertim loco, quo de velando capite mulieribus
 „ in ecclesia agit propter angelos, id est presbyteros, &
 „ ministros sacros, ne scilicet libidine tentarentur, quos
 „ esse oporteret castos, ac continentes tanquam filios re-
 „ surrectionis, & angelos Dei in cælo, non nubentes,
 „ aut si vxores iam duxerunt, vt essent vere tanquam nõ
 „ habentes. Item Siritius pontif. idemque sanctus con-
 „ fessor in epistola ad Imerium Tarracon. plurimos, in-
 „ quit, sacerdotes Christi, atque leuitas post longa con-
 „ secrationis suæ tempora tam de coniugibus propriis,
 „ quam etiã de turpi coitu sobolem didicimus procrea-
 „ se, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia
 „ in vetere Testamento sacerdotibus, atque ministris ge-
 „ nerãdi facultas legitur attributa. & paulo post, ne ipse
 „ pontifex existimaretur hoc velle, & statuere, & ideo
 „ inquit ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, ca-
 „ stitatis voluit splendore radiare, vt in die Iudicii, cum
 „ rursus aduenerit, sine macula, & ruga eam possit, sicut
 „ per Apostolum suum instituit, reperire. quarũ sanctio
 „ nõ, scilicet Christi & apostoli, sacerdotes omnes, atque

„ Ieuitæ insolubili lege constringimur, vt a die ordina-
 „ tionis nostræ sobrietati, atque pudicitia & corda nõ
 „ stra mancipemus, & corpora. Præterea Innocentius
 „ primus, huius continentia, de qua loquimur, diuinã,
 „ & apostolicã sanctionem docēs, ac interpretans, nam si
 „ beatus, inquit, Paulus ad Cor. scripsit dicens, abstinete
 „ vos ad tempus, vt vacetis orationi, & hoc vtique lai-
 „ cis præcepit, multo magis sacerdotes, quibus & orãdi,
 „ & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab
 „ huiusmodi confortio abstinere, scilicet debebunt præ-
 „ cepto Pauli, id enim intellexisse, perspicui potest clarius
 „ ex iis, quæ sequuntur. sed forte, inquit, licere hoc cre-
 „ ditur, quia scriptum est, vnus vxoris virum, non per-
 „ manentem in concupiscentia generandi dixit, sed pro-
 „ pter futuram continentiam. sic enim interpretatur, di-
 „ gamos ab Apostolo prohiberi ordine sacro propter fu-
 „ turæ incontinentia suspitionem, vnus vero vxoris vi-
 „ rum requiri propter futuram continentiam. iudicauit
 „ ergo, & interpretatus est, præcipi istis ab Apostolo cō-
 „ tinentiam. quis hæc non videt? Præterea sanctus Epi-
 „ phanius scribens aduersus Catharos hereticos, qui cū
 „ digamis non communicabant, qui non intelligentes,
 „ inquit, perfectam Dei doctrinam, ad aliam viam erran-
 „ tes se conuerterunt, quæ enim de sacerdotio propter
 „ excellentissimum sacrificãdi munus tradita sunt, in o-
 „ mnes fortasse cōpetere opinati sunt, vt qui audissent
 „ oportere episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxo-
 „ ris virum, similiter in diacono, & presbytero, deinde
 „ subiungit, reuera enim sancta Dei prædicatio post ad-
 „ uentum Domini nõ admittit post primas nuptias, mor-
 „ tua vxore, secundis nuptiis copulatos, idque propter
 „ excellentiam honoris sacerdotalis. atque hæc quidem
 „ constanter, & perfecte seruat sancta Dei ecclesia, imo
 „ & eũ, qui vnus vxoris vir adhuc filios ex ea generat,
 „ non admittit, scilicet prædicatio Dei, sic autem vocat

„ scripturam, sicut etiam diuus Basilius prædicationē a
 „ dogmate distinguit. deinde sequitur, sed eum admit-
 „ tit, qui ab vna vxore se continet, aut viduus factus est,
 „ similiter in diacono, presbytero, & hypodiatono, præ-
 „ fertim vbi perfecte seruantur ecclesiasticæ regulæ, ca-
 „ nonem nunc ecclesiasticum appellat dispositionem, si-
 „ ue ordinationem ecclesiæ traditione scripturæ sanctæ
 „ sancitam, vt ex ipsa consequentia verborum perspici
 „ potest. Deinde sequitur, sed omnino dices mihi, in nō
 „ nullis locis adhuc dare operam liberis sacerdotibus, & dia-
 „ conis, atque hypodiatonos. at hoc nō ex canone, sed
 „ ex vitio, atque ignauia hominum illius temporis, &
 „ quia non reperiretur satis ministrorum præ multitudine
 „ hominum. cum enim bene ab spiritu Sancto disposi-
 „ ta, & ordinata semper quod magis decorū est, viderit,
 „ ecclesia, didicit nunquā auocari ab studio diuini cultus
 „ exercendo. hæc tenus Epiphanius. Eusebius Cæsariensis
 „ lib. i. demonstrationis euang. de veteris, & noui Te-
 „ stamenti coniugiis, & continentia loquens, cum com-
 „ memorasset multos ex veteribus, qui principio libe-
 „ ros procrearunt, deinceps vero statim continentes fue-
 „ runt, subiunxit his verbis, secundum vero leges noui
 „ Testamenti non omnino prohibitum est dare operam
 „ liberis, quin potius de hoc similiter nobis, atque veteri-
 „ bus sanctis constitutum est. oportere enim ait scriptu-
 „ ra, episcopum esse vnius vxoris virum, verum sacerdoti,
 „ & monachi debent deinceps abstinere a concubitu
 „ vxorum, quicumque vero non sunt donati tanto mu-
 „ nere diuini cultus, hos scriptura laxat, velut aperte cæ-
 „ teris omnibus prædicans, honorabiles nuptiæ, & torus
 „ immaculatus, adulteros autem, & fornicatores iudica-
 „ bit Deus. declarauit ergo, quemadmodum secundum
 „ leges noui Testamenti, non omnino prohibitum esset,
 „ dare operam liberis, sed partim liceret scilicet, non sa-
 „ cratis, aut in religionem asceticam non dicatis, partim

non liceret, scilicet, sacerdotibus, & religiosis. Idem etiā sen-
 „ sit Gregorius Nyss. in libro elegatissimo, quem de Vir-
 „ ginitate scripsit. loquens enim, in extremo capite, de sa-
 „ cerdotibus, quomodo inquit, offers Deo, tametsi ad-
 „ hoc vnctus sis, qui non audis legem, quæ prohibet con-
 „ secrari non castum? idem denique sensit beatus Hiero-
 „ nymus non vno in loco aduersus Iouinianum, vt cum
 „ ait, sed neque vnius vxoris virum filios generantē ad-
 „ mittit ecclesia, scilicet, prædicationem Christi, sequēs,
 „ & apostoli, qui dixit filios habentem, non facientem,
 „ vt idem Hiero. notauit. idem alias, si iis, inquit, qui ex
 „ populo sunt, præcipit apostolus dicens, vt ad tempus va-
 „ cent orationi, quanto magis præcipit sacerdoti τὸ ἀπὸ πρὸς
 „ τῷ ἄνω? at populo præcipit, vt ad tempus vacet oratio-
 „ ni, ergo presbyteris, & sacerdotibus præcipit sem-
 „ per continere, vt scilicet vacare possint ἀπὸ πρὸς τῷ ἄνω, id
 „ est, intente, atque incessanter. idem, Diaconos, inquit,
 „ similiter pudicos continentes scilicet. & in epistola ad
 „ Tit. sanctum, continentem, non a libidine solū, & vxo-
 „ ris amplexu, & c. & alias in commentariolis epistolæ ad
 „ eundem Titum, incontinentiam, vel continentiam nun-
 „ quam nominat apostolus nisi in causa luxuriæ. deniq-
 „ ue singulorum testimonia, quod infinitum est & mini-
 „ me necessarium persequar, nubem testium proferam
 „ in vnius Synodi secundæ Carthag. decreto, quod supra
 „ recitavi, & recitare iterum non poenitebit, vt vel hoc
 „ solo contenti sint, qui contradicunt, vt apud quos nō
 „ stat sicut scriptum est, in ore duorum vel trium omne
 „ verbum, stet saltem in ore plurimorum hoc quod agi-
 „ mus, de concilii sententia decernentium. presbyteri, in
 „ quiunt, diaconi, & episcopi in omnibus continentes
 „ sint, & se ab vxoribus contineant, vt quod apostoli do-
 „ cuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custo-
 „ diamus. scilicet, docuerant sermone, & scriptura, vt
 „ nos satis supra demonstraui. pugnat ergo cum his

- omnibus, qui scripsit non esse essentialiter annexū de-
 - bitum continentię ordini sacro, sed ex statuto ecclesię,
 - vnde videatur, (sic enim ait) quod per ecclesiam possit
 - dispensari in voto continentię solemnizato per susce-
 - ptionem sacri ordinis quod a sancta quidem scriptura
 alienum est, vt satis me demonstrasse puto. et si enim re-
 ligiosus omnino renuntiet sæculo, non autem sic ordo
 sacer, cum non renuntiet proprio, vt iam hac ratione
 videatur, vt idem auctor tradit, cum religioso dispensa-
 ri non posse, cum ordine sacro posse, at renuntiat or-
 do sacer votis sæcularibus, quod Dominus instituit,
 apostoli prædicarunt, & sancta vniuersalis ecclesia tan-
 quam depositum fideliter seruat, & seruauit semper,
 vt in ordinatione hypodiaconi perspicui potest, in qui-
 bus quidem votis sæcularibus imprimis censetur, mi-
 scere se cum sua vxore, si eam ante habebat, aut duce-
 re postea ad vtendum. Sed si ita est, inquit, votum
 continentię essentialiter ex institutione diuina ordi-
 ni sacro annexum, vt est annexum monacho, quemad-
 modum non dirimitur matrimonium contractum sus-
 cepto ordine sacro, vt quidem suscepta, inquit, reli-
 gione dirimitur? hæc est validissima istorum ratio ex
 falsa tamen existimatione ducta, falso enim putant ma-
 trimum cōtractum dirimi per ingressum religionis,
 non ita est, non soluitur lex diuina coniugii, absit. sed
 potius qui non se miscuit cum vxore, cum posset, dein-
 de ad apostolicæ vitæ & monasticæ austeritatis institu-
 tum se confert, difficultatibus carnalis coniugii reli-
 ctis, iudicatur in ecclesia nostra ab eo, qui tanquam fi-
 delis dispensator præest familiæ in domo Dei, iudica-
 tur inquam, non consensisse desponsationi in indiui-
 duam vitæ consuetudinem, neque in suam voluisse ac-
 cipere, vt esset os ex ossibus suis, & caro de carne sua
 essentque duo in carne vna, sicut Dominus instituit,
 quod enim ipse sic coniunxit, homo postea separare
 neque

neque debet, neque potest. hoc enim, quod Adam di-
 xit, vt sanctus Asterius episcopus Amasææ scripsit in
 homilia contra dimittentes passim vxores, communis
 est virorum homologia ac promissio per vnam perso-
 nam vniuersis mulieribus cum viris lege copulatis, fa-
 cta, id est, vnusquisque vir, quam lege cōnubiali ducit,
 eidē in Adam, & per personam Adæ promisit, id quod
 Adam Eua, quam dedit illi Deus in adiutorium simile
 illi, dicens, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de car-
 ne mea, propter hoc relinquet homo patrem, & ma-
 trem, & ad hærebit vxori suæ, quæ quidem Dominus
 interpretans, & docens ad promissionem hominis de
 inseparabilitate pertinere, subiunxit statim, quod ergo
 Deus coniunxit, homo non separet. perinde atque di-
 ceret, qui hoc professus est, & promisit, & hac lege,
 Dei alligatus est vxori, ne quærat solutionem. sic enim
 videtur mihi apostolus, interpretari illū locum homo
 non separet, & clarius adhuc infra, imo ita clare, vt nul-
 la neque dubitatio, neque cauillatio relicta esse vide-
 tur, mulier inquit alligata est legi, quamdiu vir eius vi-
 uit. quod quidem similiter esse in viris intelligendum,
 ex eodem apostolo intelligi potest, qui supra dixerat,
 mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. de-
 inde subiungit similiter autem & vir sui corporis pote-
 statē nō habet, sed mulier. etenim illud τὸ ἀρραγὸς matri-
 monii, & vt ita dicam, inseparabilitas coniugii æqua-
 lis est, imo vna vtrunque. imo Dominus in euange-
 lio, excepta causa fornicationis, ne dimittere quidem
 ex domo vxorem permittit. ita enim interpretatur eo
 loco verbum ἀπολλειν beatus Chrysostomus in libro de
 Virginitate. c. 13. & hæc est vulgaris verbi huius signifi-
 catio. Valeant ergo, qui in monachis ponunt moi tem
 quandam ciuilem, qua coniugium dirimatur. ergo hac
 ratione, quicunque mortificant membra sua, quæ sunt
 super terram, tanquā ex mortuis viuentes, quod omni
 Hh

bus præceptum est, soluantur lege matrimonii sub prætextu religionis, aut saltem vxores suas a se procul remoueat, ne eas amplius curent, quod apostolico canone prohibetur. Simile est, quod rursus aiunt, non hominem separare tunc, sed Deum. & quis quæso, apostolus, aut Christum in se loquentem habens, hoc interpretatus est? Paulus enim in vno tantum loco, & in vna re interpretatus est matrimonium adeo tunc omnino dirimi, cum scilicet alter coniugum infidelis est, & non consentit habitare cum fideli, etenim si infidelis id scedit, discedat, inquit, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in eiusmodi tunc ergo non homo separat, quod Deus coniunxerat, si quidem non quærit ipse solutionem, qui alligatus erat vxori, sed Deus separat, qui noluit seruituti subiectum esse fratrem, vel sororem in huiusmodi: quod si consentiat habitare infidelis cum fidei, præcipit non Dominus, sed apostolus, id est non hoc Dominus per se præcepit, quando erat cum discipulis, sed nunc præcipit per Paulum, ne fidelis infidelem dimittat, sic enim Chrysostomus interpretatur in libro de Virginitate. c. 13. quo in loco affirmas esse hoc Christi præceptum, demonstrat, inquit, in cuncto orbe ecclesia vim, atque robur huius legis, siquidem omnistudio & diligentia eam seruet, quam quidem non seruet, nisi per suasum haberet perfecte, esse quod hic ait Paulus, Christi mandatum, hætenus Chrysost. In hoc ergo loco, & in hac causa vt dixi separat Deus, & non homo, quod ex apostolo didicimus. mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. scriptura hæc solui non potest, præsertim cum sit hoc magnum sacramentum in Christo, & in ecclesia sponsa eius ab ipso inseparabili. Quare cum matrimonium non consummatum per ingressum religionis solui videtur, non ita est, non soluitur, quod non fuit alligatum. imo audi, quid beatus Chrysostomus in libro de Virginitate. c. 47. scripse

rit, quid igitur, inquit, si vir incontinens est, ego autem continens esse volo? necesse est illum sequi. te enim hoc facere nolentem catena coniugii tibi iniecta trahit ad eum, qui tibi a principio colligatus est, & quamuis relucteris, & rumpas, non solum non liberaris eum vinculo, sed potius in supplicium summum conieceris, & paulo post. c. 48. & quid hac inquit, necessitate, & violentia durius esse potest? quæso, quamobrem te in hac necessitatem trahis? hoc enim cogitare ante matrimonium debuisti, non post matrimonium. rursus paulo infra, idcirco, inquit, dixi, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes, vt qui aut iam alligati sunt, aut sunt alligandi, alio modo faciant vinculum laxius, quia. n. non licet rumpere semel iniectum, fac illud tolerabilius. possumus enim si volumus, omnia superflua, tollere, & præter curas, quas ipsa rei natura parit, non addere alia nostro vitio, & ignauia. non sunt dissimilia, quæ Aug. scripsit in cō. Psal. 149. Sed dicat, continere iam volo, nolo iam vxorem, non potes, quid si tu vis, & illa non vult? nunquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? Si alii nupserit, te viuo, adultera erit, non vult tali lucro Deus compensare tale damnum, &c. quæ quidem non solum in matrimonium consummatum competunt, vt aliquis fortasse contendat, sed etiam in ratum non consummatum. ergo familiari, & quotidiano permisso declarat iam ecclesia, eum, qui se potuit miscere, & non se miscuit, deinde se ad apostolicæ vitæ institutum contulit, declarat inquam, non consensisse illum, vt ante dixi, in indiuiduam vitæ conjugalis consuetudinem, imo vt hoc facere possit vterque eorum, id est, de voto religionis adhuc cogitare, qui præ est toti ecclesiæ, præscribit illis hanc, quam dixi *προθεσμίων* & quidem cōsultissime tum propter molestias, & onera matrimonii, tum propter perfectissimum, & expeditissimum genus viuendi Deo in religione. | hæc au

tem est *προθεσμίην* vt quandiu non se miscent, vterque eorum possit suscipere votū religionis, altero relicto libero, quia scilicet nunquam fuerit alligatus. neque. n. hic fit ille, qui secundum idioma scripturæ sanctæ, dicitur *χρησισμὸς* id est separatio eius, quod Deus coniunxit, siue *ἀλυσισ*, id est, solutio vinculi cōiugalis legitimi. neque rursus fit *ἀπόλυσισ*, id est dimissio, quæ solum in causa fornicationis concessa est a Domino, sed fit electio. hoc autem in voto religionis voluerunt pontifices, non autem in ordine sacro, sublata ergo est ratio illa falsa, qua putabant, non esse essentialiter annexum votum continentiae ordini sacro, quare dicam iterum, pugnat cum supradietis omnibus, qui hoc dicit, non esse essentialiter annexum ordini sacro votum continentiae. Pugnat item cum eisdem decimus ille Ancyranæ Synodi canon, qui diacono, si statim vt factus est diaconus, dixerit se non posse absque vxore esse, vt vxorem ducat, concedit. verum semper Synodi prouinciales subiectæ sunt sedis apostolicæ retractationi, si quid in eis cum veritate, aut diuina & ecclesiastica lege discrepet, quale est hoc, de quo agimus. Patere iam credo, & satis ex iis, quæ hactenus diximus, perspici, quod de Paphnutio narrant, id omni fide, & auctoritate carere. quis enim credat Synodum Nicenam sanctissimorum patrum contra diuinam, & apostolicam doctrinam, atque legem reliquisse cuique sacerdoti integrum, quid facere vellet, continere se ab vxore, an non cōtinere? quis credat illā de re tam graui, & tam necessaria, nulla amplius disquisitione facta, decreuisse, & discernendo errasse? quod si falsum est, imo etiam omni carens probabilitate, sic Synodum sanctam respondisse, falsum quoq. sit, & habeatur, sanctum confessorem Paphnutiū de eo sic ad Synodū retulisse. aut etiū si id verū esse cōcedamus, quid mirū, si sic vnus Paphnutius

fenfit quomodo nunc non pauci doctrinæ & castitatis Paphnutii imitatores sentiunt? illud tamen, vt ita Synodus illa sanctissima catholicæ fidei firmamentū, statuerit, & iudicarit, neque verum est, neq. esse potuit. quamquam si verum est totum hoc quod de Paphnutio, & Nicena Synodo impudenter, & impie metiuntur, quæso, quemadmodum ex veteribus, quod ego sciam, præter Sozomenum, & Socratem nemo neque narrat, neque meminit? quorum alter Nouatianorum beneuolus, & ecclesiæ Romanæ minime laudator alia in historia Niceni concilii impudētissime finxit, in quibus hoc de Paphnutio potest numerari, vt quod pascha nusquam celebraretur nisi ex vetere consuetudine cuiusque regionis, nihilque Nicenam Synodum, vt nō nulli, sicut idem ait, vulgo iactarent, de hoc festo pasche immutasse, quod perinde esse videtur, si vtrumque cōparetur, atque dicere, nullum de pascha canonem sanxisse, quo scilicet vbique in omnibus ecclesiis post quartā decimam Lunam proximo Dominico celebraretur, siue in primo mense, siue in secundo iustus numerus Lunæ, & dies Dominicus occurrerent. cuius quidem canonis a Nicenis patribus editi multi patres meminerunt Epiphanius aduersus Audianos, Theodoritus in vita Marciani, Ambrosius lib. 10. epist. Gregorius Cappadox in Encomio. 318. episcoporum, & multi alii, quos prætereo. & quemadmodum nusquam nisi ex consuetudine Pascha celebrabatur, tot Synodis contra Synodum Polycratis Ephesinam pro legitima vna celebratione habitis, Romæ a Victore, Hierosolymis a Narcisso, Casaræ in Palestina a Theophilo, in Gallia Lugduni ab Irineo, Corinthi a Bachilide, in Asia a Plamina, item in Edeffa, & Adiabene a. 18. episcopis. deinde ab aliis episcopis in Mesopotamia tēporibus Cōmodi Imperatoris. idē quoq. Socrates ausus est mentiri, aut, certe quod ignorabat, pro certo affirmare, ecclesiā Ro

manam in quadragesima tres tantum hebdomadas exceptis Sabbato, & Dominico ieiunare, iam quæ fides habeatur in vetere historia, mentienti in præsentem? aut cuius veteris scriptoris fidem secutus est in hac Pappnutii historia? imo quis alter meminit, nisi eius similis Sozomenus? de quo sanctus Gregorius sexto libro epistolarum, eius inquit historiam sedes apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, & usque ad diem obitus sui magnum doctorem ecclesiæ fuisse perhibet. restat ergo, ut si quis illam historiam recipit, Synodo, quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis I bæ facta est, contradicat, qui vero huic contradicere non valet, illam historiam necesse est, ut repellat. similiter dicam, si quis huius, aut Socratis hanc de Pappnutio, & Niceno concilio historiam recipit, scripturæ sanctæ, sanctisque patribus contradicit, qui vero his contradicere non valet, historiam illam neget necesse est. Præterea si vera est hæc historia, quemadmodum alii scriptores, quorum maior & fides, & diligentia est, silentio eam prætermiserunt? Eusebius Cæsariensis, Theodoritus, Theophanes, Georgius Cydrenus, Gregorius Cappadox qui Encomium. 318. & historicam epitomen Niceni concilii elegantissime scripsit, & alii, quos prætereo, ne omnes enumerem. neque est in actis ipsius Synodi, in quibus alioqui extat Pappnutii historia. hæc tenus de continentia sacri ordinis. quam quidem iure diuino sancitam esse, quod satis me demonstrasse putem, ridebunt fortasse nonnulli sensu carnis suæ inflati, & ea, quam Græci *πρόληψιν* vocant, id est anticipationem præiudicii sui corrupti, qui magis literam occidentem, quam spiritum viuificantem ex scripturis petunt, quasi illæ sint *ψαλμα* ac non potius *νοησι* qui quæ aliquantum difficilia sunt, & paulo obscuriora, quia indocti & instabiles sunt, facile ad suam, & aliorum per-

ditionem deprauant, ut hic quia non legunt verbū imperandi, neque verbum vxoris, quia inquam non audiunt dici clara voce his nominatim ordinibus, abstinete ab vxoribus vestris, idcirco præceptum scriptum. continentia eorum negant, videant ipsi ne hac ratione multa, eorum quæ credunt, & tenent, ex scripturis elici negare cogantur. docuit Salomon viam & artem inueniendi veritatē sitam in simplicitate, & fide, quibus qui careat, animam eius appellat *κακότεχνη*, in quam inquit non introibit sapientia, Spiritus enim sanctus disciplina effugiet dolosum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. quod istis euenit. Nobis vero, ut omittam magnos auctores, ipsa consuetudo, & disciplina ecclesiæ catholicæ, quam Spiritus sanctus omnem docet veritatem, optima interpres est horum locorum euangelii, & epistolarum Pauli de continentia, & castitate horum ordinum, ab hac firmitate fratres, ut nos beatus Petrus monuit, nullo insipientium errore, traducti excidamus. Reliqua ex Umberti Cenomanensis, in hunc canonem decimum tertium notatione ut semel finiam, Addam. Quid inquit, Romana ecclesia in gradibus clericorum agat seriatim, & aperte prosequemur, clericos tantum ostiarios, lectores, exorcistas, & acolytos, si extra votum, & habitum monachorum inueniuntur, & continentiam profiteri volunt, vxorem virginem ducere, cum benedictione sacerdotali permittit, non autem viduam, aut repudiatam, quia propter hoc solum deinceps neque ad subdiaconatum prouehi poterunt, neque laicus non virginem fortitus vxorem, aut bigamus ad clericatū, quod si quis præfatorum ordinum desiderat ad subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu vxoris suæ, ut de carnali fiat deinceps spirituale coniugium, ne mine eos ad hoc cogente, neque permittitur postea vxor iungi eidem suo marito carnaliter, neque cui-

» quam nubere in vita, aut post mortem illius, alioqui
 » anathematizanda est, sicut & subdiaconus, diaconus,
 » aut presbyter, aut episcopus deponendus suam repe-
 » tens, aut extraneam ducens, sicut in Neocesat. Conc.
 » decretum est. Talibus traditionibus usque nunc sancta
 » Romana, & apostolica sedes omni mundo refulsit, ne-
 » que aliquando Iudaicis fabulis, & apocryphis scriptu-
 » ris acquieuit, sed per primos apostolorum in ipso sum-
 » mo angulari lapide Christo Iesu fundata nullis unquam
 » hæresibus cessit, neque prohibuit coniugio laicos, sed
 » sacri altaris ministros, & apostolicam perfectionem pro-
 » fessos. Ecclesia vero Græcorum ad sacri altaris mini-
 » sterium ordinandos interrogat, an habeant uxores, qui
 » si responderint se non habere, compelluntur primum
 » ducere, & sic impositionem manus accipere, ut noui ma-
 » riti & recenti carnis voluptate toti resoluti & marci-
 » di inter sancta sacrificia cogitantes, quomodo placeant
 » vxoribus, immaculatum Christi corpus tractent, atque
 » populo distribuant, indeque sanctificatas manus ad tra-
 » ctanda membra virilia mox referant, & sicut & popu-
 » lus, sic & sacerdos, & tandem ruina populi sint sacerdo-
 » tes mali. Hactenus Umberto. Sequitur trigessimus sex-
 » tus canon falsus item, & ambitiosus, sicuti. 3. Constan-
 » tinopolitani concilii, ut etiam Anastasius bibliotheca-
 » rius auctor est, & viges. octa. Calcedonensis, qui hoc idem
 » continet, quod hic. 36. falsi inquam hi omnes, & adul-
 » terini. Cui enim secundus locus auctoritate prius Ana-
 » cleti, deinde concilii Niceni decretus, assignatusque
 » esset Alexandria, Imperatores & patriarchæ Constan-
 » tinopolitani, exturbare illam suo loco omni conatu,
 » & fraude tentarunt, fingebant itaque decretum esse in Co-
 » nstantinopolitano concilio, ut secundum locum ipsa Con-
 » stantinopolis teneret, proferebantque tertium Cano-
 » nem eiusdem concilii, quem iidem fabricarant, & sup-
 » posuerant, quem etsi satis coarguit falsitatis ipse canon
 » secundus

secundus concilii Constantinopolitani, quo cauetur,
 ut sicuti in Nic. concilio constitutum, prescriptumque
 est, ita honor dignitasque seruetur Antiochiæ, seruari
 autem non potest, nisi Antiochia tertium locum, qui
 illi post Romam, & Alexandriam assignatus est, tuea-
 tur, multo vero minus, si in extremum locum reiicia-
 tur, ut in hoc. 36. canone fit, etsi inquam satis illum coar-
 guat secundus ille canon, tamen eundem cum alii pon-
 tifices, tum maxime Damasus, & Leo magnus vehem-
 enter refutarunt postea, ille statim post secundum con-
 cilium, facto decreto, in Synodo Romana, quæ Romæ
 in Vaticana bibliotheca extat, hic literis missis, tum ad
 Anatolium, tum ad Marcianum, quibus iniquam illam
 secundi loci, gradusque occupationem accusat, quam
 non tunc primum coepisse dicit Leo, sed ante quinqu-
 ginta annos, fere enim non plures fuerunt inter Con-
 stantinopolitanum, & Calcedonense concilium, in quo
 eundem ipsum fictum canonem clanculum renouarunt,
 ut in. 16. actione Paschasius, Leonis legatus obiicit.
 neque renouarunt modo, sed omni temeritate & arro-
 gantia cumularunt. si quidem non tantum secundum
 locum Constantinopolitano patriarchæ post Roma-
 num pontificem, ut in Constantinopolitano concilio
 fecerant, tribuerunt Græci, sed quasi docentes illam
 præpositionem μετὰ, quæ Latinis est, post, non ὑποβι-
 βασμὸν sed ἑξῆς, ἢ ἑξῆς ἰσότητι hoc est, non inferio-
 rem locum, sed ordinem, aut ordinis æqualitatem si-
 gnificare, planius quidem, sed ambitiosius sanxerunt,
 - ut Constantinopolitanæ, & Romanæ sedi paria priui-
 - legia irrogarentur, & æque illa, atque ista in rebus ec-
 - clesiasticis magnifieret, secundo post Romam loco,
 quod idem omnino repetitum est in hoc. 36. canone, de
 quo loqui coepimus, male itaque Gratianus legit, non
 tamen ut in ecclesiasticis rebus æque magnificetur ut
 illa, coniunxisse namque videtur, quæ inter se pessime

coherent, videlicet æqualia priuilegia irrogari, non tamen æque in rebus ecclesiasticis magnifieri. Etenim si in rebus ecclesiasticis non æque magnifit vtraq. ecclesia, quæ illa est vtriusque æqualitas priuilegiorum? fortasse possit aliquid responderi, sed nescio quam apte, certe ita est, vt nos legimus in omnibus tum Græcis, tum Latinis exemplis, quæcunque nobis fuit consulendi potestas. Postea vero Vigilius credo tempore quinti concilii nimie Græcorum cupiditati, & importunæ ambitioni, fortasse ne quid peius accideret, secundum locum tandem concessisse videtur, id est, vt ego interpretor in dicendis sententiis, in confesu, in signando, aliisque huiusmodi, ratumque fecisse tertium canonem alioqui suppositum concilii Constantinopolitani, vt ex Nouella. 131. Iustiniani de eccl. ti. & priuil. conuici potest, & ex Leonis non. epistola ad Michaëlem patriarcham Constant. & Leonem Acridanum archiepif. Vulgariæ. c. 28. sed ecce iam, inquit non debet ingrata apparere filia, quia præ cæteris eam honorare dignata est mater sua. Nā cum nullo diuino, vel humano priuilegio honorabilior seu clarior alijs ecclesijs Constantinopolitana existat ecclesia & Antiochena, atque Alexandrina, obreuerentiam principis apostolorum inter alias, retentent dignitatis iura, tamē pia mater Romana scilicet ecclesia nolens dilectam filiam dote honorificentie ex toto carere, per beatos prædecesores nostros, in aliquot Synodis curauit decernere, vt salua principatum, & apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut regie ciuitatis episcopus. Quamuis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, vt post Papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præsul ecclesiæ, Et certe hoc nulla alia excellētia meritorum est affecuta, nisi quod Romana ecclesia pro amore venerabilis Constantinij ipsam quantum in eo fuit, honoran-

tis, & exaltantis ciuitatem ipsius hoc priuilegio honoris sola humana beneuolentia insigniuit, iuxta prophetæ dictum ad Heli, glorificantem me glorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, aut si quod aliud retinet, aut putat se habere priuilegium, vos rebelles lumini, atque veritati, & signiferi vmbre atque vanitatis proferte in medium. Confirmauit idem octauum concilium œcumenicum contra Photium habitum canone. 21. tum Innocentius. 3. in concilio generali Lateranensi, Postremo Eugenius. 4. cum concilii œcumenici Florentini patribus, ex quo fit, vt si hic. 36. canon, in quo versamur, tantum repeteret, tertium canonem concilii Constantinopolitani, esset quidem tenendus, at non illum modo renouat, sed etiam Calcedonensis concilii. 27. canonem superbissimum & valde contumeliosum. sed alterum quod in eo loco peccat hic auctor est, quod hunc canonem. 36. quamuis in eo reperatur nefarius ille canon Calcedonensis concilii, tamen quasi probatum adhibet, & ad alios adiungit siue vlla nota ἀκρίβως aut paleæ, vt nostri iurisperiti loquuntur quasi ἀκριβώς in quo etiam capite apud Gratianum, vt nihil omittam, non inferior Roma, sed senior legendum est. illud etiam hic admonere volui, hunc canonem 27. Calcedo. Con. cum totus fictus sit, in vetustioribus exemplis Latinis non legi, & in Græcis separatim scriptum esse infra signa episcoporum. Item ex Constanti nopo. Con. canonibus septem, qui Græce feruntur scripti, non reperiri in vetustis Latinorum exemplis, nisi 3. primos id quod Anastasius eius bibliothecarius annotauit, de sexto affirmare quidem Nic. 1. in epist. illa longa ad Michaëlem, fictum esse a Græcis. Sequitur. 39. canon, quo isti patres nimis arroganter vt mihi videtur, prætermissa auctoritate pontificis, ius Constantinopolitanæ ecclesiæ, Iustinianopolitanæ tribuunt, cum omnis tamen iurisdictio, & ecclesiastica potestas ex

pontifice velut ex fonte quodam manet, quò autem ra-
 tum hoc haberetur, commenti sunt patres vti se cano-
 nis Ephesini auctoritate, At canones Ephesini concilii
 suppositos esse a Græcis, cum auctor est Anastasius,
 tum in vetustis decretorum Latinis voluminibus Isi-
 dori, & Cresconii, & aliis non habentur. deinde hoc
 Iustinianopolitanum priuilegium Iustinianus non ad
 Ephesini concilii, sed ad Vigilii pontificis liberalita-
 tem, & auctoritatem retulit in eadem Nouella. 131. Se-
 quitur canon. 52. contra ecclesiasticam consuetudinem
 Romanæ ecclesiæ, de non celebranda missa tota, & in-
 tegra toto tempore quadragesimæ, exceptis die Do-
 minico, & die annūciationis, Sabbato etiam honoris,
 ac religionis gratia iudaice excepto, de quo proxime
 dicam. Quam missam *προσηγορευσαν*, id est, ex præ san-
 ctificatis vocant Græci, hunc ergo canonem, qui est
 etiam Laodiceni concilii. 49. vt non ecclesiasticū nota-
 uit ante quingētos annos & amplius idē Vmbertus car-
 dinalis vir doctissimus Leonis noni, vt supra memini,
 ad Cōstantinopolitanos legatus, is. n. librum Nicetæ ad-
 uersus Latinos, cōfutans, missa inquit nostra nō fit im-
 perfecta, neq. reseruatur ex oblatione eius pars aliqua,
 vt per dies quinq. agatur missa imperfecta. Quia neque
 sancti Apostoli leguntur quicquā ex illo primo corpo-
 ris & sanguinis mysterio sub ipsa cœna distributo re-
 seruasse, neque actus eorū indicant eos aliquando tale
 quid egisse, aut præcepisse, imo vt Lucas narrat erant
 fideles perseverantes in doctrina Apostolorū, & cōmu-
 nicatione fractionis panis, quæ communicatio quali-
 ter, & quibus fieret diebus, post demonstrat, dicens,
 quotidie perseverantes vnanimiter in templo, & fran-
 gentes circa domos panem sumebant. Hic in fractione
 panis & communicatione non nisi perfectam actionē
 missæ debemus accipere, quemadmodum & ipsum legi-
 mus non imperfectam, sed perfectam commemoratiq.

nem sui discipulis tradidisse in pane a se benedicto, &
 mox distributo, non enim benedixit tantum, & serua-
 uit frangendum in crastinum, neque fregit tantum, &
 reposuit, sed fractum statim distribuit. Vnde beatus
 Alexander Papa quintus a Petro passionem Domini
 inferens missæ canoni, non ait hoc quotiescunque fa-
 ceritis, sed hæc, id est, si benedixeritis, fregeritis, &
 distribueritis, in mei memoriam facite, quicquid ho-
 rum fiat sine reliquis scilicet benedictio sine distribu-
 tione, aut fractio sine benedictione & distributione
 perfectam Christi memoriam non representat, sicut
 distributio, nullam sine benedictione, & fractione, de
 Papa vero Agathone omnino (inquit) scimus, neque
 per seipsum sextæ Synodo prædidisse, neque aliquibus
 eius capitulis subscripsisse, nisi quæ promulgata fuerūt
 aduersus Monothelitarum hæresim, vos videte vnde
 hæc, quæ proponitis habeatis, quia ecclesia Romana
 talia hætenus ignorauit, neque credi potest post tot
 annos, Romanum pontificem Græcis promulgasse ali-
 quas de missa obseruationes. Hætenus Vmbertus. Præ-
 terea quod hæc imperfecta missa ab ipsis Græcis inuē-
 ta, & introducta perperam sit, ex eo quoque intelligi
 potest, quod hora nona huiusmodi missas celebrant,
 Sabbato autē & Dominico hora tertia, quia scilicet, sol-
 ui putent ieiuniū sumptione sacramēti. De quo etiā ac-
 cusauit eos idem Vmbertus, his verbis, quid enim scē-
 leratius esse potest, aut magis impium, cum caro Chri-
 sti verus sit cibus, & sanguis verus sit potus, verus in-
 quam, quia qui manducet eius carnem, habet vitam
 æternam, id est, Christum, qui est via, veritas, & vita,
 quemadmodum ergo vitam incorruptibilem comedēs
 corrumpere potest integritatem ieiunii, tanquam ci-
 bo aliquo corruptibili? Sequitur canon. 55. aduersus Ro-
 manæ ecclesiæ consuetudinem de Ieiunio Sabbati im-
 pie sancitus, quam consuetudinem non ecclesiasticam

putant Græci, sed potius cum Apostolorum canone. 64. pugnantes non intelligentes canonem illum, si modo verus esset, putari posse fortasse, sancitum esse ab ecclesia contra Marcionistas, qui ut tradit sanctus Epiphanius eo die ieiunabant in inuidiam Dei Iudeorum, qui septimo die requieuisset, ab opere quod patrarat, ut iam sublatis de medio Marcionistis, alia causa religiose ieiunare liceat, sicuti idem sanctus Epiphanius describens ecclesiam sui temporis formam, tradit esse qui sancto proposito omnibus diebus ieiunarent, & in Laodicensi Synodo canon est quinquagesimus de tota quadragesima ieiunanda, & in Gang. Synodo canon est. 18. in eos, qui Dominico die ieiunarent, de Sabbato nulla mentio, ex quibus perspicitur clarissime, hunc canonem de ieiunio Sabbati interdicto falso ferri Apostolorum, hunc ergo canonem sextæ Synodi de Sabbato non ieiunando idem Umbertus reprehendens, in libro, quem aduersus calumnias Michaëlis Patriarchæ Constan. & Leonis Acridani archiepif. Vulgaris pro defensione azymi doctissime, & religiosissime scripsit, si vos (inquit) non Iudaizatis, dicite, cur Iudeis in simili obseruatione Sabbati communicatis? Sabbatum certe ipsi celebrant, & vos celebratis, epulantur & ipsi & soluunt semper in Sabbato ieiunium, & vos in vstra quadragesima soluitis a ieiunio omne Sabbatum præter vnum, illis duplex est causa celebrandi Sabbatum, ex præcepto Moyfis, & quod cōtristatis discipulis, ipsi fuerunt de morte Domini, quem non credebant resurcturum, in hac die gauisi, vnde quia cum Iudeis Sabbathum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali obseruatione obseruare festam Nazareorum, qui recipiunt Christianismum, ut non dimittant Iudaismum, Latina autem ecclesia compatiens passio, & sepulto Domino, & gaudet resurgenti in die Dominica, quando Iudeos nimia occupauit mœstitia, &

custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecunia. Vnde nos traditionem vsque in hodiernum diem de Sabbato retinentes, & vsque in finem retinere cupientes, &c. rursus in libro aduersus Nicetam, si interrogem (inquit) Iudeos, quid in Sabbato celebrent, respondent requiem Domini, si Græcos, idem, & non aliud dicent, ergo sub seruitute legis sunt, in cuius umbra, & tenebris confidunt, quam traditionem (inquit) si tenisset papa Agatho remouere Romanis, non audiretur ab eis. Quamobrem caput quod asseritis Agathonem promulgasse, ut si quis clericus ieiunaret Sabbato præter vnum, deponeretur, magis dicendum est Nazareorum esse, quam Apostolorum, Chelinthi, & Ebionis magis quam sextæ Synodi, & papæ Agathonis, cui sane capitulo epistola Pauli aperte contradicit, ubi ait, nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, & Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, vnde Romani proprio auctori, & magistro gentium in fide & veritate obedientes nulli Sabbato festum, vel otium dependunt, sicut neque neomeniæ, quia Iudaica sunt, & umbra futurorum, & paulo supra, de vtroque horum canonum, de missa scilicet & ieiunio Sabbati, & quomodo (inquit) in Nicena, & reliquis Synodis vniuersalibus nulla fit mentio de rebus tam necessariis? nunquid vsque ad sextam Synodum Græci, & Latini rationem missæ, & ieiuniorum ignorauerunt? & per. 600. & amplius annos a passione Christi in talibus errarunt? an forte Græci hæc nouerunt, & Romani ignorauerunt? sed ex missalibus Romanorum libris ab omni ecclesia occidentali antiquitus receptis euidenter cognoscitur, quam rationem ieiunii, & missæ habuerint sub reuerendis suis pontificibus Siluestro scilicet auctore Nicenæ Synodi, & Gelasio damnatore vestri Accatii, maximeque Gregorio cōpatre Imperatoris Mauriti, in cuius libris missalibus,

» omnis dies quadragesimæ habet specialis missæ plena-
 » rium officium, & excepto Dominico, nullus dies eius
 » soluit ieiunium. Haftenus ille. Præterea olim cum Græ-
 » ci quærent ex Latinis, cur Sabbato ieiunarent, id. n.
 » magnopere criminabantur, vt ne nunc quidem crimi-
 » nari desinunt, respondit Siluester, vt Eusebius etiam
 » in eius vita testatur, cum omnis (inquit) Dominicus
 » dies colendus sit in gaudium Christianorum, ergo o-
 » mnis dies Sabbati deputandus est sepulturæ ad execra-
 » tionem Iudæorum, omnes enim discipuli die Sabbati
 » fletum habuerunt, sepultum suspirantes, & Iudæis epu-
 » lantibus lætitia inerat, apostolis autem ieiunantibus tri-
 » stitia imperabat, tristemur itaque cum tristantibus de
 » sepultura, si volumus cum eisdem de resurrectione Do-
 » mini gaudere, neque enim fas est, vt distinctiones ci-
 » borum, & cerimonias Iudæorum more Iudaico obser-
 » uemus, ex quibus verbis satis constat non esse hunc ca-
 » nonem Apostolorum, neque fuisse inter hos canones,
 » qui sextæ Synodi falso feruntur, repetendum. Præterea
 » etiam Innocentius, Sabbato (inquit) ieiunandum esse,
 » ratio euidentissima demonstrat, nam si diem Domini
 » cum ob venerationem Domini nostri Iesu Christi non
 » solum in pascha celebramus, verum etiam per singulas
 » hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus, ac
 » sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, Sab-
 » batum prætermittere non debemus, quod inter tristi-
 » tiam, atque lætiam illius temporis videtur inclusum.
 » Nam vtique constat Apostolos biduo isto, & in mæro
 » re fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse,
 » quod vtique non dubium est, & in tantum eos ieiunaf-
 » se biduo memoratur, vt traditio ecclesiæ habeat, isto
 » biduo sacramentum penitus nõ celebrari. Quæ forma
 » vtique per singulas ecclesias est tenenda, propter quod
 » commemoratio illius diei semper est celebranda. Quod
 » si putatis semel, aut vno Sabbato ieiunandum, ergo &
 » dies

» dies Dominica, & sexta feria semel in Pascha erit vtique
 » celebranda, si autem Dominicæ diei, ac sextæ feriæ per
 » singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis
 » est bidui agere consuetudinem, Sabbato prætermisso,
 » cum non disparem habeat causam a sexta videlicet fe-
 » ria, in qua Dominus passus est, quando & apud inferos
 » fuit, & die tertia resurgens reddidit lætitiã post bi-
 » duanam præcedentem tristitiã, non ergo nos negamus
 » sexta feria ieiunandum, sed dicimus in Sabbato hoc agen-
 » dum, quia ambo dies tristitiã apostolis, in iis qui Chri-
 » stum secuti sunt, indixere, qui die Dominica exhilara-
 » ti, non solum ipsum festiuissimum esse voluere, verum
 » etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse di-
 » xere. Haftenus Innocentius. Quæ omnia ideo a me
 » tam multis verbis repetita sunt, quod hunc canonem
 » Iudaicum de non ieiunando Sabbato hodie teneant,
 » & superstitiosissime obseruent Græci, & nobis eius di-
 » ei ieiunium impie exprobrent. Sequitur canon. 67. de
 » abstinendo a sanguine quacunque arte condito, & de
 » suffocato aduersus Latinos editus, quod probant ho-
 » die Græci, qui nos accusant, quod canonem Apostolo-
 » rum, quem nunc horum canonum auctores renouant,
 » non seruemus, neque intelligentes quæ loquuntur, ne-
 » que de quibus affirmant, sane fuerunt olim sanguis,
 » & suffocatum propter sanguinem retentum, prohibi-
 » ta primũ quidem Iudæis ad detestationem idololatriæ,
 » vt Tertullianus in Apologetico interpretatur, deinde
 » ab Apostolis decreto illo Antiocheno prohibita quoq.
 » gentilibus, vt ipso statim principio Christianæ discipli-
 » næ amicitia, & societas inter conuersos ex Iudæis &
 » gentilibus, communionem ritus facilius coiret, vt est in
 » bula concilii Florentini explicatum, nunc vero cum ido-
 » lolatria prorsus eiecta omnis sit e medio, & longo vsu
 » disciplinæ Christianæ magna statim existat coniunctio
 » credentium ex Iudæis, ac gentibus, liceat quidem no-

bis iam ali sanguine neque religio fit botulis sanguine distentis vesci, vt erat olim, Tertulliano auctore, quando, vt inquit, inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admouebant, a suffocatis vero adhuc abstinere solemus consuetudine horroris ex traditione primum nata, iam velut in naturam versa. Sed recitabo quæ Umbertus docte satis, & diligenter in hunc canonem, aduersus Græcorum accusationem
 » respondit, & annotauit. Nos (inquit) quamuis a Do-
 » mino, & ab Apostolis licentiam habeamus manducare
 » omnia, quæ neque nostræ, neque fraternæ saluti officiunt, consuetudine tamē prouinciarum, & præceptis
 » maiorum nostrorum hactenus detenti, deuitamus comedere nonnulla, non quia mala, aut immunda sint, sed quia aut nobis aliquomodo nō expediunt, aut longo vsu in naturam verso horremus. Nonne draco populis Aethiopum esca datus dicitur? & nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur, & aliquanto post, Deus (inquit) post cataclysmū primis mensis admouit omnia, deinde certę significationis gratia, vsque ad tempus remouit aliqua quasi immunda, cum utique cuncta fecerit valde bona, & rationalis creaturæ vitium abominabile sit, volūtas quoque hominum aliquando sibi quædam vendicat, aliquando alienat, vt Romani paucis annis ante Constantinum porcinae carnis esum per Aurelianum Imperatorem sibi vendicarunt, & Græci vsque nunc vrsinam alienarunt, & certe si humanum iudicium super his interrogas, immundior erit porcus sordibus, & cœno cōsuetus viuere, quā vrsus saginatus glāde, & relicuo suo pabulo, sed siue vos, siue nos, quod a maioribus nostris accepimus, aut vsu tenemus comedēdū, sic obseruemus, vt qui non manducat, manducantem non spernat, & qui manducat, non manducantem ne iudicet, & paulo post, cuius vrsinae scilicet vsu quamuis

» non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis, quia euangelica, & apostolica auctoritas omnia edenda constituit, neque hoc dicentes suffocatum, & sanguinem nobis contra vos defendimus, antiquam enim consuetudinem, seu traditionem maiorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur, adeo, vt sanguine, & quocunque morticinio, aut aquis, aut quacunque negligentia humana præfocato apud nos aliquando vescētibus, absque extremo periculo vitæ huius, poenitentia grauis imponatur, pro eo magis quia antiquas consuetudines, & traditiones maiorum, quæ non sunt contra fidem, leges apostolicas arbitramur, nam de cæteris, quæ auerpio, aut canibus, aut laqueo venantium moriūtur apostolis præceptum sequimur, omne quod in macello venditur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam, & paulo post, ne ergo scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune, aut immundum esse si quis dixerit hoc suffocatum est, vel mortuum, non est comedendum, vt Apostolus de idolothytis ait. Multa si quidem vsu, aut traditione maiorū ita obseruamus, vt aliter facientes abhorreamus, sicut est non lotis manibus manducare, quod quamuis iuxta sententiam veritatis non inquinat hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominē non lotis manibus manducantem. Quod si quis dicat (inquit) non solum in veteri testamento sed etiam in nouo ab Apostolis traditum esse gentibus, vt abstineant a sanguine, & suffocato, neque nos vescimur, tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata apostolos obseruasse scimus, quando adhuc quasi in quodam matutino crepusculo tenebrę & lux conflagabant, sic apostoli in Iudæa commorantes aliquando claritate euangelii expergefacti ab umbra legis recedebant, aliquando necessitate in eam recidebant, de-

» nique forte Mathiam associarunt, & templum in quo
 » adhuc sanguis animalium offerebatur, orationis gra-
 » tia frequētabant. Haftenus Umbertus. Valeat ergo ad
 discretionem ciborum; non quidem aliqua ratio Iu-
 daica aut umbra futurorum, sed temperantiæ, obediē-
 tiæ, consuetudinis traditæ salubritatis, & ecclesiasticę
 disciplinæ ratio, neque nos Græcorum ecclesiasticam
 consuetudinem reprehendimus, neque illi nostram re-
 prehēdant. Quare hic canon adulterinus, & insolens,
 atq. ab apostolica doctrina & ecclesiastica regula alie-
 nus habeatur, quo auctores ecclesiam Romanam ausi
 sunt iudicare. Sexagesimus nonus canon editus vide-
 tur in inuidiam Latinorum ad damnandam ecclesiæ
 Romanæ consuetudinem. Siquidem hoc hodie etiā no-
 bis obiiciunt, quod cuique nostrū liceat in sacrarium
 ingredi, & ad aram fere omnem accedere, sed cur reli-
 giosæ osculationes prohibeantur non video, imo nec
 aliud quicquam, quo excitari pietas possit, & diuina-
 rum rerum studium, & amor inflammari, augerique re-
 ligio ac deuotio. Sequitur. 90. canon, quem interpre-
 tari placuit potius, quam reprehendere, ne quis nos eo
 aliquādo laceſſat, quasi aduersus ecclesiam Romanam
 sancito. Soliti sunt olim Græci, & solent adhuc, quan-
 tum intelligo, sexto, & septimo die magnæ hebdoma-
 dæ ieiunare, nihilque cibi omnino capere, quos cum
 vexaret fames, iidemque ieiunium soluendi tempus
 auide expectarent, alii quidem ante mediam noctem
 Sabbati, cibum capiebant, quasi iam tunc Christus re-
 uixisset, alii vero post. Hoc ergo canone cauēt patres,
 vt ad soluēdum ieiunium media nox expectetur, quasi
 ab eo tēpore quanam hora noctis Christus reuixerit,
 incertum habeatur. Non itaque hic canon descriptus
 est in inuidiam consuetudinis Romanæ ecclesiæ, quæ
 matutinum tempus expectat, neque ad cōstituendam
 certam resurrectionis horam, quod quidem periculo-

sum est, vt ait Dionysius archiepiscopus Alexandrinus.
 sed ad ponendum modum auerſitati eorum, qui mediā
 noctem anteuertebant. Verum Dionysii Alexandrini
 canonem non me pœnituit adiungere, quod maxime
 ad huius loci, quo de agimus, interpretationē faciat,
 is est in hanc sententiam, qua hora oporteret desinere
 esse ieiunos in magno Sabbato, & incipere celebrare
 diem festum paschæ, magnam olim de eo controuer-
 siam, ac dissensionem fuisse, alios enim vesperam, Ro-
 manos galli cantum obseruasse, alios citius solere. Ac
 difficile quidem esse & periculosum certam horam re-
 surrectionis notare. Illud constare inter omnes, post-
 quam Christus reuixisset, ieiunationem esse desinen-
 dam. Ne vero existimaremus euangeliorum scripto-
 res inter se pugnare, videri sibi quod Matthæus dice-
 ret *ὅτι ἡ βραβύτων* id est, sero Sabbatorum, non esse acci-
 piendam vesperam Sabbati, si quidem adiunxerit *ἢ*
ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν ἢ βραβύτων id est, quæ luceſcit in
 vnam Sabbatorum, sed significari serum noctis, ve-
 nisse itaque multa iam nocte scilicet ante lucem, id-
 que vt viderent monumentum, non vt vngerent, quo-
 niam Sabbatum adhuc esset, reperisseque iam motum
 lapidem, hoc idem Ioānes his verbis, mane cum adhuc
 tenebræ essent, & quæ sequuntur. Lucas vero Sabba-
 tum ait quieuisse eos, vt lex iubebat, cum vero exiisset
 Sabbatum *ἄρῃου σαββάτου*, hoc est bene mane, statim ini-
 tio sequentis diei adisse mulieres cum vnguento &c.
 Hoc idem Marcus *λίαν πρῶτην*, nisi quod adiunxit orto
 iam Sole, videlicet egressæ sunt bene mane, sed in via,
 & monumento tempus vsque ad Solis ortum consu-
 munt. Ergo Matthæus & Ioānes de extrema parte Sab-
 bati, & monumento solum viſſendo loquuntur. Lu-
 cas vero & Marcus de initio Dominici diei post Sabba-
 tum, & de adeundo monumento cum aromatis, atque
 ita fit vt omnia conueniant. Ergo eos qui paulo ante

» mediam noctem desinunt esse ieiuni, hos intemperan-
 » tes, contemptoresque esse, qui autem quartam vigiliã
 » expectarent, qua Christus in mari ambulasset, hos pul-
 » cherrime, & tēperatissime facere, qui interiecti sunt,
 » eis se minime molestum esse. Hactenus Dionysii sen-
 tentia ad Basilidem. Dicitur est de actis sexti concilii,
 & de iis canonibus, qui sextę Synodi falso esse feruntur,
 deque eorum auctoritate, & qui minus sancti, rati que
 sint, imo qui falsi. Sequitur nunc vt de actis septimi cō-
 cilio dicamus, quę etiam commētitiã asse Albertus Py-
 gius contendit, de cuius prudentia, & religione iterũ
 dicam magnopere miror, quod cum diu, & magna cū
 laude aduersus Lutheranorum disciplinam depugnaf-
 set, nostramque acerrimis, & sanctissimis scriptis saepe
 defendisset, iisdem ad extremum maioris furoris, & te-
 meritatis occasionem prębere non dubitarit. Siqui-
 dem eius fortassis auctoritate & pręiudicio inducti
 hanc sanctissimi concilii. 7. historiam vendere in Ger-
 mania inferiore per errorem prohibuerunt. qua, vt di-
 xi, nihil sanctius, vberius, acrius pro sanctis imagini-
 bus scriptum est, neque a maioribus nostris, neq. a no-
 strę etatis hominibus. quę quidem cum diu ante Lu-
 therani deleuissent, & e templis exturbassent, libentif-
 sime huius historię accusationem amplexi sunt, vt iam
 non solum suis nefariis & sceleratis armis pugnarent,
 sed hoc magis insultarent, quod nostra tela de mani-
 bus excidisse viderentur, imo a nostris excussa & extra-
 cta esse. Obiicit itaque primum de Honorio, de quo
 quoniam nimis multa supra, nihil hoc loco addam am-
 plius, nisi ita scriptum esse, cum in aliis exemplis. 7. Sy-
 nodi, tum in eo, quod Anastasius Palatinę bibliothecę
 magister, haud multo post tempora ipsius concilii ha-
 biti, a se translatum in ea reliquit, quod propter vetu-
 statem suam, summamque fidem, religionem, ac dili-
 gentiam huius viri, magnę apud omnes auctoritatis

esse debet. Deinde cum multa alia corrupta esse pu-
 tet in hac historia Pygius, duo tamen testimonia se ait
 velle proferre, vnũ, quod literę Hadriani Tarasio œcu-
 menico Patriarchę inscribantur. Quod vt negare non
 possumus, quin gręculus quispiam librarius depraua-
 rit, ita mirari non debemus. ecquis Gręcorum insolē-
 tiam ignorat? qui nunquam patriarchas episcopos vo-
 cant, sed *ἐπίσκοποι* *μετὰ* *ἀρχιεπισκόπων*, aliisque huiusmodi
 nominibus, imo sic se ipsi patriarchę appellitant, vt in
 conciliis paulo ante nostram memoriam habitis Flo-
 rentino inquam & Basileensi perspectum est, cum ta-
 men nemo fere Pontifex Romanus, nisi episcopum se
 nominare soleat, & seruũ seruorum Dei, vt diuus
 Gregorius se primus, vt ferunt, cœpit appellare, imi-
 tatus quod est in Matthæo, quicumque voluerit inter
 vos esse primus, erit vester seruus, neque id solum, sed
 Eulogium episcopum reprehendit, quod eum appellaf-
 set vniuersalem. Idem Mauritium de eadem re accu-
 sat, & Nicolaus primus Michaëlem Imperatorem lite-
 ris ad eum missis reprehendit, quod Photium œcume-
 nicum patriarcham vocasset, & Hadrianus primus Cō-
 stantinum, quod Tarasium, multis itaque rationibus
 & argumentis coarguitur illius tituli vanitas, quodq.
 non ab Hadriano scriptum sic est, sed ab alio supposi-
 tum. Quod si cętera quę in hac historia perscripta
 sunt sic possent coargui falsitatis, profecto non dubi-
 tarem commentitia notare, vt vocat Albertus. At
 quę ratio est propter aliqua loca prodita ac depraua-
 ta, reliquam historiam eiectam velle? Pręterea Pygius
 commentitia dicit esse hęc acta, quoniam tres actio-
 nes die vno, sexto videlicet Octobris peroratę fuisse
 dicuntur, quod quidem librariũ vitium esse, ex exēplo
 Anastasii emendatiore intelligi potest, in quo tertia
 actio tertio Calend. Octobris. 4. actio. Calend. eiusdē
 mensis peracta est. Pygius vero quasi exempla omnia

legisset, ita ex vnus exempli vitio de omnium exemplarium fide iudicium facere videtur. Illud deinde Alberto non probatur, ex quo cætera ficta esse arbitrat, quod Basilius episcopus Ancyræ & quidam alii statim primæ actionis initio in senatum introducuntur, iidemque suas sententias damnant in conspectu patrū citius videlicet, quam ordo rerum & iudiciorū postulare, vt ipse existimat, equidem neque versatus sum in foro, neque iactatus in tribunalibus, neque formulas iudiciorum tenco, fateor, videamus tamen an contra naturam rerum hoc sit, quod esse ait Pygius, id enim facile intelligere poterit, qui non sit omnino hebes. Ergo cum in senatum venissent, sedissentque omnes, episcopi Siciliae petierunt, vt Tarasius præfaretur, & quæ essent agēda, quoque ordine, proponeret, assensu sunt ceteri, præfatur Tarasius, peroratque orationem
 » his verbis. Quod si confidimus gratum esse Deo, accedant qui superiori anno veritati restiterunt, & si quisquam eorum habet, quod obiiciat, aut contradicat, siue quid, aliud, quod defendat, aut purget, dicat confidenter, sic enim omnis inquisitio manifestabitur. Postea recitata est oratio, quæ sacrum diploma Imperatoris appellatur, quo perfecto, ecce Basilius, & alii ingrediuntur, & confessiones religiosissimas afferunt, quid quæso hætenus contra naturam rerum aut etiam ordinem iudiciorū audis? an quod reus ingenue crimen agnoscit suum, antequam conuincatur? an vero quod non prius de sacris simulacris, & signis atque imaginibus disputatur, quam accersantur? quid? cum de dogmate certum esset, neque ibi aliud ageretur, quam vt qui defecerant, reuocarentur, ad meliorem sententiam. nonne conueniebat, magis, vt sicuti Tarasius faciendum esse statuerat, statim admitterentur si qui vellēt aliquid dicere? age si in hoc concilio, quod Tridenti institutum est, in prima actione post orationē ab aliquo legato

legato pōtificis habitam, aliquamque Imperatoris orationem recitatam, vt hic factum est, continuo adesset Melanthon, aut quis alius de eorum familia, qui vellet ad se redire, & cōfiteri, quæ ante negasset, vtum ideo ex abrupto, vt ait Pygius, factum esset, aut contra naturam rerum, ordinem ve iudiciorum? sed quid in re apertissima moror? sequitur in Pygio, eius generis offēdes in illis alia plurima, sed hæc mihi hoc loco sufficere posse videbantur, pro asserenda aduersus mendacissimos Græcos, sanctissimi, pp. Honorii memoria. Satis docet Albertus his verbis, quo consilio probare voluerit esse aliqua falso scripta in hac historia, scilicet vt quod in ea scriptum est de Honorio, falsum esse crederetur. ergo hac ratione & argumento habeantur profictis, quæcunque de religiosis picturis sanctissime ac verissime prodita, his literis sunt. At sicut Honorii damnatio ficta esset, si falsitas eius coaugeretur, licet cætera septimi concilii historia verissima foret, sic quamuis reliqua historia commentitia esset, nō ideo statim non esset verum de Honorio, nisi redargueretur, vt certe non redarguitur. Postremo ait Pygius solo consensu multorum sæculorum, tanquam certissima quadam nota agnosci certorum auctorum libros, at hanc historiam septimi concilii nuper in Germania publicam tam carere hoc testimonio vetustatis. Sane de eo loquebatur Albertus quod nouerat, dixi iterum, & dicendū est sapius, esse in publica bibliotheca pontificis Romani peruetustum exemplum septimi concilii, quod Anastasius bibliothecarius, maiore fide & diligētia, quam puritate sermonis e Græco in Latinum conuertit, atq. in hoc quidem exemplo, quod nuper in Germania exiuit in publicum, omnia cum Anastasiano congruunt, eodemque ordine descripta sunt, nisi quod in primæ actionis principio desideratur epistola Constantini & Hirenes ad Hadrianum, qua legatos mitti postulant,
 LI

& Tarasii oratio quæ Apologetica inscribitur, habita illi, quo die patriarcha creatus est. sed hæc nihil ad ordinem iudiciorum, quem Pygius requirit, pertinent. in secunda vero actione duas epistolas alteram Hadriani ad Constantinum, alteram eiusdem ad Tarasium a Græcis decurtatas, & mutilas esse, tum deprauatas, cū tam diligenter Anastasius suis in locis admonuerit, haud dubito, quin de Honorio etiam admonuisset, si qua illi mentitæ damnationis Honorii suspicio fuisset. Verum vt alia prætermittā, adiūgam hic, quæ in epistola Hadriani ad Constantinum a Græcis relicta sunt, ab Anastasio autem reposita ex exemplo literarum Hadriani. nescio, vtrum Latino, an Græco a se Latine verso, adiungam inquam quod eę contineant de principatu pontificis, de non legendis patriarchis ex ordine laicorum, tum de vectigalibus & bonis ecclesie, quæ eius appellatur patrimonium. Si vero impossibile est hæreticorum vesaniæ pro incredulitate ipsorum ipsas sacras, ac venerandas imagines sine Synodi actione in pristino erigere, ac confirmare statu, & nostros sacerdotes pro eiusmodi pia operatione vestra cupit serenissima imperialis potentia accersire, sicut in vestris fertur imperialibus iussionibus, imprimis Pseudo syllogus ille, qui sine apostolica sede enormiter, nequiter, irrationabiliter cōtra sanctorum patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematizetur præsentibus iussis nostris, & tunc sicut antiquitus mos extitit iureiurando vestra piis. ac tràquillis. potestas vna cum domina Augusta imperii vestri genitrice, seu eiusdē regie vrbis patriarcha, necnon & cuncto senatu corporale tribuentes sacramentum, verbum communitorium sicut antiquitus pia sacra nobis dirigere vestra dignetur imperialis potestas, quod nõ est apud vos partis cuiuslibet fauor, aut defensio, sed æqualitatē vtrisque partibus conseruabitis, nullatenus necessita-

tem facientes, in quocunque capitulo eis, qui a nobis diriguntur quoquomodo, sed omni honore, cum competentis munificentia, & susceptione dignos eos habebitis. Et si quidem vtrique conuenerint, ecce bene, si autem minime conuenerint, iterum cum omni humanitate ad nos dirigere satagetis. Quia dudū ibidē pro piæ zelo fidei, ac sanctarum imaginum, religiosi viri ac Dei famuli directi in exilium missi sunt, & bonæ confessionis huiusmodi finierunt vitam. Porro & hoc vestrum adeo coronatum imperium ac piissimum poscimus, vt si veram & Orthodoxam sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesie Romanæ nitimini amplecti fidem, sicuti antiquitus ab Orthodoxis Imperatoribus seu a cæteris fidelibus Christianis oblata, atque concessa sunt patronia beati Petri apostolorum principis fautoris nostri in integrum nobis restituere dignemini pro luminariorum concinnationibus eidem Dei ecclesie, atque alimoniis pauperum, imo & consecrationes archiepiscoporum seu episcoporum, sicut olim constat traditio, nostre diocesis existentes, penitus canonice sancte Romanæ ecclesie restituantur, vt nequaquam schisma inter concordiam perseuerare valeat sacerdotum, sed sicut in vestra sereniss. iussione exaratum est, confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini atque saluatoris nostri Iesu Christi verbum impleatur, quoniam portę inferi non præualebunt aduersus eā, & rursus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni coelorum, & quod ligaueris super terram erit ligatum & in coelis, & quod solueris super terram, erit solutum & in coelis, cuius sedes in toto orbe terrarum primatu fungens caput omnium ecclesiarum constituta est, & quauis beatus Petrus apostolus per Domini præceptum rexit ecclesiam, nihilominus subsequens & tenuit semper, & retinet principatum, quod vniuersalis ecclesie nomen

» nullam magis oportet exequi sedem, quam primam,
 » quæ & vnamquamque Synodum & sua auctoritate cõ-
 » firmat, & continuata moderatione custodit. Et valde
 » mirati sumus, quod in vestris Imperialibus iussis pro
 » patriarcha regis vrbis scilicet Tarasio directis vniuer-
 » salem ibidem eum reperimus exaratum, sed vtrum per
 » Imperium vel schisma, vel heresim iniquorum scriptum
 » est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestre clemen-
 » tiæ, & Imperiali potentie, vt minime in suarum exara-
 » tionum serie vniuersalis describatur. quia contra san-
 » ctorum canonum instituta, seu sanctorum patrum tra-
 » ditionum decreta esse videtur. In secundo enim ordi-
 » ne sine sancte nostre catholicę ecclesie auctoritate, si-
 » cut in omnibus patuit, nunquam valuit nomen habe-
 » re, quod nimirum si super prelatam sibi sanctam Roma-
 » nam ecclesiam, quæ est caput omnium ecclesiarum de-
 » scribatur, tãquam sanctarum Synodorum rebellem at-
 » que hæreticum se manifestare certum est. quia si vni-
 » uersalis est etiam ecclesie nostre sedis priuatum habere
 » dignoscitur. quod ridiculum omnibus fidelibus Chri-
 » stianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso re-
 » demptore mundi beato Petro apostolo principatus ac-
 » potestas data est, & per eundem apostolum, cuius vel
 » immeriti vicem gerimus, sancta catholica, & apostoli-
 » ca ecclesia Romana vsque hastenus tenet principatũ,
 » & potestatis auctoritatem, quatenus (quod non cre-
 » dimus) si quispiam eum vniuersalem nũcupauerit, vel
 » assensum tribuerit, sciat se Orthodoxe fidei alienum
 » esse, & nostre sancte catholicę ecclesie rebellem. Ipse
 » enim Tarasius regis vrbis patriarcha, misit nobis Sy-
 » nodicam, priscam adimplens consuetudinem, quam su-
 » scipientes, & liquidius indagantes, & de confessione
 » tam recte fidei eius, quam dogmatum sanctorum sex
 » Synodorum, & venerandarum imaginum ouantes ni-
 » mis iterum conturbati sumus, quia ex laicorum ordi-

» ne, & imperialibus obsequiis deputatus, repente ad pa-
 » triarchatus culmen electus est, id est a caliga milita-
 » ri contra sanctorum canonum censuram factus est pa-
 » triarcha, & quod dicere pudet & graue facere est, qui
 » regendi adhuc & docendi sunt, doctores neque eru-
 » belcunt videri, neque metuunt, ducatumque anima-
 » rum impudenter assumunt, quibus via omnibus igno-
 » ra decoris est, & quo ipsi gradientur ignari sunt, quod
 » quam prauum, quam ve sic temerarium sæculari ordi-
 » ne, & disciplina monstratur. Nam dum dux exercitus
 » non nisi labore & solitudine expertus eligitur, qua-
 » les animorum duces esse possunt, qui in episcopatus
 » culmen immatura cupiunt festinatione conscendere?
 » huius saltem rei comparatione considerent, & aggre-
 » di repente inexpertos labores abstineant, quippe qui
 » non didicerint, quod docent, vnde canonice instituit
 » censura, nequaquam ex laico ad sacerdotium repente
 » transire, & nisi per eius fidelem concursum pro sancta
 » rum imaginum erectione, eius cõsecrationi assensum
 » omnimodo tribuere nequimus, & ideo Domini rerũ
 » a deo coronati magni principes, & serenissimi Impera-
 » tores, petimus & obnixe iterum obsecramus a Deo
 » illustratam clementiam vestram & per omnipotentem
 » Deum, qui vos regnare præcepit, & Imperialis culmi-
 » nis apicem nobis cõcedere iussit, pietatem vestram vt
 » dictum est coniuramus, vt pio intuitu vestras clemen-
 » tiæ aures nostræ humillimæ deprecationi inclinare iu-
 » beatis, ipsasque sacratissimas imagines in pristino gra-
 » du constituere, vt omnes Christiani in vniuerso mun-
 » do exultent, & magno lætentur gaudio, nam cum tale
 » inquam erroris scandalum, quod in ipsis Gracie parti-
 » bus irrepsit abolitum fuerit, & Deo annuente ipse ve-
 » nerandæ imagines in pristino statu fuerint restitutæ,
 » erit magna lætitia dilatata per vniuersum orbem terra-
 » rum, & nũc super omnes barbaras nationes, beato Pe-

» tro principe apostolorum vos comitante, eritis in trium
 » phis imperantes victores, sicuti filius & spiritualis no-
 » ster compater Dominus Carolus Dux Francorum &
 » Longobardorum ac patritius Romanorum nostris ob-
 » temperans monitis. Itaque adimplens in omnibus vo-
 » luntates omnis Hesperiae, occiduaeque partis, barbaras
 » nationes suis prosterbens conculcauit pedibus, omni-
 » potentatum illarum domans & suo subiiciens regno
 » adunavit. Unde per sua laboriosa certamina, eidem Dei
 » apostolicae ecclesiae ob nimium amorem plura bona in-
 » perpetuo obtulit possidenda tam prouincias, quam ci-
 » uitates, seu castra, & caetera territoria, imo & patrimo-
 » nia quae a perfida Longobardorum gente detinebantur,
 » brachio forti eidem Dei ecclesiae restituit, cuius esse di-
 » gnoscantur, sed & aurum atque argentum quotidie
 » pro luminarium concinnatione seu alimoniis paupe-
 » rum non desinit offerendo, quatenus eius regalis me-
 » moria non derelinquatur in saeculum saeculi, idcirco ni-
 » mium diligentes ac venerantes magnopere quaesumus
 » ut praesentes transuectores videlicet Petrum dilectiss.
 » nostrum archiepiscopum, & Petrum Abbatem, ac
 » presbyterum venerabilis monasterii sancti Sabae hila-
 » ri mente, atque vultu placidissimo suscipiens, ut suspi-
 » tes ad nos iterum remeent, disponere iubeat vestra se-
 » renitas. Imperialis clementia, ut quia de vestra Orthodo-
 » xa fide, quam coepistis, nos reddiderunt certiores, nos
 » ex hoc vestro proposito laeti altissimo Domino nostro
 » referre studeamus laudes, diuinam pro immensa piis-
 » serenitatis vestrae letitia exorantes clementiam, ac co-
 » sona cum propheta inquentes, Domine saluos fac inui-
 » ditissimos nostros principes, & magnos Imperatores,
 » & exaudi nos in quacunque die te deprecantes pro eis
 » inuocauerimus. Ipse enim rerum opifex & arbiter Do-
 » minus Deus noster, in cuius manu omnia regna mun-
 » di consistunt, per quem & reges regnant, & principes

» imperant, & potentes quae pietatis sunt, clementer cun-
 » cta modigerando disponunt, vestrae pia serenitatis mel-
 » lissimis cordibus inspirare dignetur ad exaudiendas no-
 » stras humillimas preces, & restituendum in pristinum
 » sacras imagines, tribuatque vobis intercedentibus bea-
 » tissimis Apostolorum principibus Petro, ac Paulo Ion-
 » geua, ac prospera, & foelicia tempora, & cum maxima
 » corporis sospitate & animae salute Imperialis potentiae
 » sceptris vos perfrui faciat, & sicut terrae summae poten-
 » tiae gloriam vobis concessit, & caelorum regna vobis
 » per infinita saecula largiri possidenda dignetur. Data Ca-
 » lendis Nouemb. indictione. ix. de his literis Anastasius
 » ita inquit, Graeci quia eodem tempore ex laicis fuerat
 » Constantinopolitanus patriarcha factus, ne publice ab
 » apostolica sede argui videretur, & aduersus eum tan-
 » quam reprehensione dignum haereticis repugnandi oc-
 » casio praeretur, ac proinde Synodi cui intererat, vti-
 » litas excluderetur, ea quae de non facienda laicorum pro-
 » motione, caeterarumque praesumptionum redargutio-
 » nibus subsequuntur in Synodo haec neque recitari, ne-
 » que actis inseri passi sunt. Sequitur iam, ut de octauo co-
 » cili canonibus aliquid etiam dicamus, explicandi gra-
 » tia, & quia ordo postulat. Magna enim dubitatio ex
 » multiplicatis octauis existit. Nam Photianum conci-
 » lium, Nicolao pontifice, octauum nominant Graeci,
 » item concilium non multo post contra eundem Pho-
 » tium Constantinopoli temporibus Hadriani secundi
 » habitum octauum fuit & numerant, tum deinceps aliud
 » consecutum post Hadrianum Ioanne pontifice in tem-
 » plo Sophiae, octauum praedicant, imo & Florentinum
 » concilium, quod Eugenio quarto pontifice habitum est,
 » eius interpretis octauum inscripsit, & hodie plerique Gre-
 » corum eo numero habent. Ergo concilium quod Pho-
 » tius Rodoaldo, & Zacharia legatis pontificis Nicolai
 » primi instituit, & habuit in templo apostolorum, quod

etiam primum & secundum appellarūt, vt ad alterum Photianum sceleratum prius aduersus pontificem congregatum adiunctum esse videretur, hoc inquam quāuis maximum, & œcumenicum suo more Græci falso, & arroganter inscribant, tantum abest vt octauum sit, vt ne numero quidem vlllo conciliorū haberi debeat, quin potius Ariminensi Ariano, aut Ephesino Nestoriano simile fuisse dicat Hadrianus. & Nicolaus primus ad episcopos Constantinopolitanos scripsit de Rodoaldo & Zacharia, nihil se eis penitus iniunxisse, nisi tantummodo, vt causam Ignatii patriarchæ diligenter cognoscerent, & Romanæ ecclesiæ exponerent. quid ergo Græci nugantur concilium maximum fuisse, idemque octauum, quod ne concilium quidem fuit, sed coitio scelestæ, & nefariæ? de cuius quidem auctoribus Hadrianus his verbis decreuit. Conciliabulum vanitatis a Photio & huius fautore Michaële videlicet tyrannice Constantinopoli imperante aduersus sedis apostolicæ reuerentiam, & priuilegium congregatum, vtpote veritatis inimicum, quin & omni fallitate, sibi consentientium animas interficiens Ephesino latrocinio cōparandum fore statuimus, & ipsius execranda gesta quibuscunque habeantur monumentis inserta, summi iudicis Domini nostri Iesu Christi sanctorumque apostolorum principum Petri, & Pauli, nostræque mediocritatis auctoritate penitus abolenda decernimus, ita vt igni tradantur, & anathemate perpetuo percellantur. Similiter & de cæteris scripturis, quæ uiris iam nominatis auctoribus contra eandem sedem tempore diuerso sunt editæ, resistendum modis omnibus diffinimus. Et paulo post. Ergo quamdiu post notitiam huius apostolicæ sanctionis sibi prælata monumenta, vel exëplaria gestorum, ipsius execrati conciliabuli penes se quisquam retinens celauerit, vel defenderit, & non potius propalauerit, vel igni tradiderit, tādium anathemate cō-

strictus

strictus cōmunionis Christi munere careat, & quæ iēquantur. Hactenus de actis huius schismaticæ Synodi feruntur autem huius Synodi canones . 17 . partim illi quidem graues & honesti, partim illa coitione digni, quos omnes in Latinum conuerti, non quidem quod existimarem, quamlibet recti ex magna parte esse viderentur, vllam habere eos auctoritatē, nisi quos aliquando ecclesia Romana denuo sanciret, ac renouaret & quasi ab iniustis latoribus vendicaret. Sed magis vt & sublata omni obscuritate, & ambiguitate discernere hos ab aliis liceret, sumereturque ex eis si quid boni est, velut ex poëtis solet, & quod hic non pauca de monachis cauerentur, in quibus & si nō sit auctoritas, tamē possit non mediocri inde (vt sunt nostra tēpora) utilitas, maturitas, & cautio peti. fuisse autem hos canones in illo Photiano cōcilio editos, præterquam quod Zonaras, & Theodorus Balsamo testantur, ex artificio quidem, & simulatione quorundam ex eo numero canonum conici facile potest. Cum enim Photius ex ordine laicorum repente in ordinem episcoporum vi & dolo ascendisset, idque contra Sardicensis concilii, Celestini, & Leonis magni decreta, & leges, ne ea abrogare videretur, iterum ea sancit. 17. canone, subiungens, tametsi ante hac nonnulli laici repente facti episcopi, continuo se eo honore dignos præstiterunt, & virtutis splendore, ac dignitate ecclesiam suam auxerunt, & illustrarunt, scilicet illis se uiris ascribit Photius, quos Nicolaus primus ad eundem Photium scribens, ob necessitatem rerum, & similibus virorū inopiam electos esse defendit Nectarium dico, & Tarasium Photii aunculum & eiusdem Tarasii successorem Nicephorum, Ambrosium vero etiam propter insigne miraculum, quorum in Photium cōueniebat, nihil. Præterea, quia multi a Photio patriarcha discedebāt, eumque in adhibendis publicis precibus (vt fieri solet) minime nomi-

natim commemorabant, cautum est in hoc Photiano concilio. 13. et. 14. et. 15. canone, ne id in episcopos, aut metropolitans, aut patriarchas liceat, antequam iudicati, damnatiq. sint a Synodo, hoc videlicet iactabat Photius, non esse se, de Synodi, & concilii sententia condēnatum. ad hæc, cum Photius, ut proditum literis est, Ignatium cruciatibus & terroribus episcopatum deponere coëgisset, metueretque fortasse ne idem sibi eveniret, ut se scilicet pulso alter eligeretur, cauit. 16. canone, ne ius esset vllum præficere, eo superstitē, qui ante præerat, nisi cum sponte is episcopatum deponeret, deponeret autem Ignatius, tametsi non quidem sponte sed inuitus; & vehementer dolens. Extat epistola Græca Photii ad Nicolaum de sua electione contra canonē Latinorum, & de concilio a se habito, legatis eius præsentibus, deque canone illo, a se renouato, & quod petierat Nicolaus, & legatis suis mandauerat, ut qui electi episcopi essent absque auctoritate pontif. referrent se ad Pontific. cur de eo nihil actum esset ibi, ex qua epif. quia perspicui potest quantum auctoritatis pontifici tunc tribueret, quantum utinam nunc Græci tribuerent, & quia ex ea potest intelligi, nondum approbasse Nicolaum illius electionem, quin potius vehementer accusasse, & reprehendisse non solum Michaëlem Imperatorem, quod ex epistola illa longa constat, sed ipsum Photium, quod ex hac, idcirco fortasse conuertam eam in Latinum, & ad hunc libellum adiungam. Post hoc igitur Photianum concilium consecutum est haud multo post alterum ducentorum episcoporum, quod mortuam Michaële, & Nicolao primo auctoritate Adriani secundi habitum est contra Photium Constantinopoli in eodem templo apostolorum, missis eo legatis Stephano & Donato. fuitq. id concilium in maiorum numero octauum, quod satis his verbis Adrianus testatur, sic enim de legatis suis ait, missos esse contra depo-

„sitionem imaginum, vel alias necessitates ingruentes
 „nec non pro causa depositionis Ignatii. Sunt autem editi in hoc concilio canones. 27. quos non quidem a me Latine versos, nusquam enim exemplum Græcum integrum reperire potui, sed ab Anastasio cognomento bibliothecario, libenter hic adiunxissem, nisi valde corrupti essent, & multis locis propter barbariem sermonis ad intelligendum difficiles. Deinde proximum concilium, quod post Adriani obitum mortuo iam Ignatio, pro Photio auctoritate Ioannis Pontificis numero. 383. episcoporum Constantinopoli in templo Sophiæ congregatum est, octauum quoque numerant Græci, sed falso, utputo. etenim si publicum fuit, & œcumenicum, profecto non octauum, sed nonum est, cum octauum sit, quod contra Photium antea congregatum fuerat, neque enim quia eius canones aliqui, & acta de damnatione Photii recisa sunt postea, idcirco reliqui canones, qui ad omnes ecclesias pertinent, nulli erunt. Saluis vero canonibus, profecto concilium numero suo habebitur, sin autem non fuit œcumenicum, cum non numeretur inter maiora concilia, iam neque octauum erit, neque nonum, sed vnum ex priuatis, quæ plurima sunt, fuisse vero œcumenicum mihi quidem videtur, cum legati œcumenici episcopi, id est, Ioannis pontificis, Paulus, Eugenius & Petrus presbyter cardinalis interfuerint, ac præfuerint, Constantinopolim rogatu Basilii, Leonis, & Alexandri, missi, tum ut Photium, quem plurimi partim malevolentia, partim religionis causa propter superiorem damnationem adhuc vitabant, ecclesiæ & populo reconciliarent, & hominum animos religione anathematis liberarent, tum ut de ceteris, quæ necessaria esse viderentur, agerent, quod in mandatis habebant, ut ex epistola Ioannis ad Photium perspicui potest, quæ vero illa essent, ac qualia, in commonitorio, quod vocant illis dato, continebatur, ut ex

Manuele Caleca Græco, viro magna, & doctrina, & fide intelligi potest, is enim Græcos falso iactantes, decretum esse in hoc concilio Ioannis, ne Symbolo quicquam adiungeretur, aut detraheretur, vno verbo mendacii coarguit affirmans, vt de eo agerent legati, in mandatis non habuisse, idque perspicui posse ex libello mandatorum, quem commonitorium vocant, ex quo adducor, vt suspicer, commonitorium in quod incidi Græcum, deprauatum esse, siquidem in eo contineatur missos esse legatos ad ea omnia decidenda, & tractanda, quæcûq; ad ecclesiã pertinerent, & emendanda esse viderentur, quæque verisimile est, nasci posse, e quorû numero esse fortasse poterat tractatio de symbolo, nisi ibi sigillatim exposita essent, & notata, quæ tractanda essent, vt quidẽ fuisse, satis Manuel Calecas significare videtur. Sunt autem qui huic concilio adscribât superiores illos septedecim canones, quos esse potius concilio Photiano adscribendos, satis supra docuimus, vt etiã ex epistola Photii ad Nicolaũ intelligi potest. Verũ quia de canonibus huius Constantinopolitanę Synodi pro Photio, Ioanne Pontifice, nõ satis constat, propter varietatem, vt mox docebo, deinde quoniam eadem Synodus superioris Synodi Adrianicę contra Photium acta immoderatus, quã fortasse probabile videatur, rescindit & damnat, proponam quam breuissime potero, quæcunque de re hac tota reperi, nihil interim asseuerans, sed veritatis lucem inquirens, quam quicunque ostenderit, summo gaudio amplectar, fateor enim non potuisse per me, neque aliis adhibitis huc scrupulum omnino eiicere, & totam rem, vt cupiebam expedire. Primum ergo tres canones feruntur Græce, separatim ab aliis, in scripti, Canones concilii in templo sanctę Sophiæ congregati, quo septima Synodus confirmata est, omnisque schismaticorum & hæreticorum error profligatus. Quos ipse in

» Latinum conuerti, quorum primus cauet, vt quoscun-
 » que siue sacerdotes, siue episcopos, siue ex alio ordine,
 » ac genere hominum Ioãnes pontifex maximus per Li-
 » byam, Europam, Asiam in vincula coniecerit, aut ana-
 » themati iusserit fieri, hos eisdem ipse Photius auctori-
 » tate sua neque custodia, neque anathemate liberet,
 » quod quidem satis æquum est, quod vero deinceps sta-
 » tim in eodem canone sequitur, itẽ quos Photius mul-
 » tarit siue carcere, siue anathemate, siue alio genere,
 » hos ipsos pontifex ecclesiæ Romanæ ne absoluat, ne-
 » ue liberet, hoc inquam arroganter dictum esse, perspi-
 » ci potest ex iis quæ a legatis Romanis in quinto actu
 » huius Synodi dicta sunt de re hac, quæ valde modera-
 » ta sunt, & hunc canonem satis insolentiæ coarguere vi-
 » dentur. Ergo ii postquam Metrophanem, quoniam pa-
 » cis reconciliationem inter ecclesiam Romanam & Cõ-
 » stantinopolitanam factam non approbabat, ex ecclesia
 » & cõmunionem eiecerunt, ita subiungunt, quæ ad verbũ
 » interpretati sumus. volumus, sciatís mandatum nobis
 » esse a Ioãne pontifice, sicuti ante nũtiuimus, vt quos
 » Photius patriarcha optimus iuste multarit, aut nõ mul-
 » tarit, eisdem nos multemus, aut non multemus ser-
 » uata inter nos concordia, & quoscunque Ioannes san-
 » ctissimus & œcumenicus pōtifex canonicè gradu quo-
 » cunque mouerit, aut absoluerit, Photius pro rato ha-
 » beat. Item quoscunque Photius canonicè, id Ioannes
 » similiter sanciat, quod quidem si vobis probatur, pa-
 » tres, lege lata sancite. Synodus respondit placere cano-
 » nem edi, editusque est, nõ hic quidem, qui positus est,
 » sed alius moderatior, quam hic de quo loqui cepimus,
 » qui cum aliis duobus circumfertur, qui canon mode-
 » ratior cum eo conueniret, quod est in epistola æquissi-
 » ma illa concilii Africani ad Celestinum pontificẽ, qua
 » petunt Africani patres a Romano pontifice, ne quos
 » ipsi dānarent pontifex facile absoluat, id enim intelligi

posse cautum esse in Niceno concilio canone quinto,
 & si nominatim in eo canone de clericis & laicis cauea-
 » tur, itaque aiunt. impendio, deprecamur, vt deinceps
 » ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis,
 » neque a nobis excommunicatos in communionē vltra
 » velitis recipere, quia hoc etiam in Niceno concilio de-
 » finitum facile aduerteret venerabilitas tua, nā etfi de
 » inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri,
 » quanto magis hoc de episcopis voluit obseruari, ne in
 » sua prouincia communionē suspensi, a tua sanctitate,
 » vel festinate, & præpropere, vel indebite videantur cō-
 » munioni restitui, itaque improba eorum refugia repel-
 » lat sanctitas tua. Nam Niceni concilii decreta siue in-
 » ferioris gradus clericos, siue ipsos episcopos suis Me-
 » trapolitanis apertissime commiserunt, prudentissime
 » enim iustissimeque viderunt, quæcunq; negotia in suis
 » locis, vbi orta sunt, finienda esse, neque vnicuique pro-
 » uinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas
 » a Christi sacerdotibus & prudenter videretur & con-
 » stantissime teneatur, maxime quia vnicuique concef-
 » sum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad con-
 » cilia suæ prouinciæ, vel etiā vniuersale prouocare, nisi
 » forte quisquam est, qui credat, vnicuilibet nosse Deū
 » vestrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabili-
 » bus congregatis in cōcilio sacerdotibus denegare. aut
 » quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit,
 » ad quod testium necessaria personæ vel propter sexus,
 » vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis in-
 » teruenientibus impedimentis adduci non poterunt?
 Haftenus patres Africani. Ergo insolenter & imperio-
 se dictū videtur, ne Pontifex, ecclesiae Romanae quos
 Photius damnarit, absoluat, moderatius vero quod Afri-
 cani patres a Celestino postularunt, ne videlicet pō-
 tifex ipse facilius, ac celerius absolueret, quos ipsi con-
 dēnassent, hoc idem petierat antea Photius a Nicolao

pontif. per literas illas, quas supra dixi, præterea esse
 hūc canonem cum hac moderatione editum in hac Sy-
 nodo Constantinopolitana Ioannis, me, vt credam,
 etiam illud adducit, quod in quinto actu huius Syno-
 di pronuntiatum est a Basilio quodam patriarchæ An-
 » tiochiæ, vt Græci vocant, Topotereta, quos, inquit,
 » Photius vt a patriarchis electus, & ab ipso pontifice,
 » vt dudum audiuius, confirmatus, recte ac iuste dam-
 » narit, eosdem & ipsi damnamus, quos vero absoluerit,
 » absoluius, ac continuo Romani legati diximus (in-
 » quiunt) Ioannem pontificem maximum potestaté Pho-
 » tio dedisse, vt eos qui se ad recte viuendum conuerte-
 » rint, recipere, eos vero qui respiscere noluerint, socie-
 » tate & communionē hominum prohibere ei liceat, vel
 fortasse canon hic, de quo loquimur, non est corru-
 ptus, sed sic intelligendus, vt diximus, vt simile sit,
 quod ait Innocentius primus, ca. 6. epistolæ ad episco-
 pos Macedonię de Photino restituto, cui manum por-
 » rigitis, manum porrigo, cui porrigo mecum porrigite,
 » hæc ad Corinthios apostolica est declarata benignitas,
 » vt in vno spiritu sententiam boni, & institutum sem-
 » per sequatur, De aliis duobus canonibus nihil videtur
 esse quod admonere debeam, nisi quod secundus cita-
 tur ab Innocen. iii. in lib. 1. Dec. c. post translationē de
 renunciatione, & falso tribuitur concilio Constan. in
 iiii. œcumenicis, secūdo. Sunt alii quinq; huius Synodi
 canones inter ea capita, quæ epistola Ioānis ad Basiliū
 tunc imperatorem missa cōtinet, qui quidem canones
 recitati sunt ex epistola ipsa, & rursus a Constantino-
 politanis illis patribus sanciti, quos ex actis ipsius Sy-
 nodi excerptos Latine totidem fere verbis conuertimus,
 & tribus superioribus adiūximus, ex quibus quar-
 tus superiores Synodos aduersus Photium tū Romæ,
 tum Constantinopoli habitas Nicolai & Adriani tem-
 poribus explodit & reiiicit, imo vt de Synodorum nu-

mero tollantur iubet, quod quemadmodum interpretandum esse putem, nihil habeo omnino constitutum, & certum, vellemque potius aliorum sententiam audire, nam neq. persuadere mihi possum, non fuisse duas illas Synodos, & rite & iustissima de causa institutas & habitas pro Ignatio omnium testimonio innocentissimo, præsertim cum Anastasium habeamus grauissimū testem, & auctorem, is enim & interfuit rebus gestis, & earum historiam Synodis actis comprehensam in Latinum sermonem trāstulit. quod si iustissimæ Synodi fuerunt, quemadmodum ne numero quidem Synodorum haberi permittit Ioānes pontifex, præsertim cū de aliis rebus præterquam de Photii damnatione sanctissimi canones illius concilii extent, vt de imaginibus, & aliis, quæ cur omnia delenda & abroganda esse iudicavit, non assequor, neque vero per surreptionem (vt est in ipsa Ioannis epistola) factam esse Photii dānationem Nicolai & Adriani auctoritate verisimile fiet ei, qui acta ipsa octauæ concilii legerit, sed neq. rursus hanc Ioannis pontificis epistolā ad Basilū, vbi hic ipse canon scriptus est, mēdo sām esse, & ab aliquo Græco, vt illi facere solent, deprauatā, valde probabile est, tum quia non solum Græca epistola eum canonem continet, sed & Latina, cuius exemplum vetustissimum in pontificis publica bibliotheca reperi, eādē habet sententiam, tum quia non dissimile esse videtur, quod Innocentius primus gessit in absoluendo Photino a maioribus suis condemnato, & de surreptione, cuius exemplum sequi fortasse potuit Ioannes in Photio, ita enim ait Innocētius, maiorum meorum reuolui sententias, fuerat quidem de eo grauius aliquid constitutum, verum quia id per rumorem falsum, vt asseritis huic sedi surreptum, & elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem rediit, veniam nos hanc in tantum vobis annitentibus post condemnationem, more apostolico

» lico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, nobisque tam bonis, tam charis nō dare consensum omnibus rebus duris durius arbitramur, pro vestra ergo ap-
 » probatione fratres charissimi, & sententia ac postulatione episcopum Photinum habetote, & nostrā in melius conuersam sententiam, fauore vel testimonio vestro compotes voti suscipite, ac paulo post, cui manū porrigitis, manum porrigo, cui porrigo mecum porrigite, hæc ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, vti in vno spiritu sententiam boni semper sequatur. Illud vero quod est in literis Ioannis ad Photium, concilium contra te habitum rescindimus omnino, & eiicimus, deinde sequitur, tum ob alia, tum quia Hadrianus pontifex beatissimus, non subscripsit, atque ob signauit, hoc inquam non legi Latine sed Græce, mirorque, si id verum est, non ob signasse Hadrianū, Anastasium vel dissimulasse, vel nescisse, qui tanta diligētia octauam Synodum transtulit, vt sanctissimam, & maximæ auctoritatis, & in qua sint legatorum pontificis signa, quæ adulterina credere temerarium videtur, itaque hoc facile a Græcis additum esse puto, quo magis superioribus contra Photinum conciliis fides derogaretur, sed rursus miror Calecam, cum notasset & iure sextum, & septimum, actus huius Synodi Ioānis suppositos esse a Photianis, in quibus tandē cauetur, ne quicquam symbolo addere, aut detrahere liceret, quod Græci semper a nobis dissentientes pertinaciter contendunt, de quo quidem vt ageretur, nihil in commonitorio quod vocant legatis dato, continebatur, miror inquam cum is animaduertit hanc fraudem Græcorum, cur si confictam quoq. arbitrabatur octauæ concilii dānationem, non etiam de eo admonuit, præsertim cum argumenta quærere videatur ad probandum confictos fuisse illos actus, nihil autem magis suspicionem falsitatis moueat, quam altera falsitas, protuli quæ dubium

aliquem & hæsitantem reddere possent, me certe ita sustinent, vt nihil de re hac, asseuerãter affirmem, etsi quid mihi probabilius videatur, tacere nolim, id est octauum cõcilium Constantinopolitanum Hadriano pontifice contra Photium habitum sanctissimum fuisse, & esse, habendumq. in numero maiorum conciliorum, vt supra docui, neque. n. quia Ioannes pontifex Photium absoluit, quem Hadrianus damnauit, idcirco Photii damnatio irrita fuit prius, conciliumq. ipsum pro nihilo habendum. Cum tamdiu habitus fuerit iure damnatus, quãdiu vixit Ignatius, visumque fuerit tandem Ioanni pontifici in maiorum exempla, & in præsentem ecclesię statum intuenti misericordiam, humanit ateq. illi tribuere, quod improbari nõ debet, ait. n. in literis quas ad Basilium imperatorẽ pro Photio scripsit, sicuti Donatistas & a Bonoso ordinatos, quos altera Synodus & quidẽ frequens ab ecclesia prohibuit, altera reuocauit, idque vt ecclesia Dei turbis, & sedi tionibus liberaretur, sic, imo multo magis oportere viros cum primis religione præditos, vt Photium non aspernari. Deinde inuidiam restitutionis damnati Photii, pontificum declinat auctoritatibus. Primo Nicolai dicentis, sæpe necesse est canones transire. deinde Gelasii, vbi non est necessitas, canones seruari debent. Præterea Leonis, vbi ius & necessitas abest, canones transire ne ius esto, si necessitas adest, qui potestatem habet, ad vtilitatẽ ecclesię moderetur, & Felicis, vbi necessitas incurrit, sanctiones patrum sæpe non seruantur, postremo Pauli, legis mutatio ex necessitate profecta est. Hactenus illius sententia. Quid quæso opus erat his exemplis, & auctoritatibus si neq. obsignarat Hadrianus, quod confinxisse illos suspicor, aut si cuncta per surreptionem vt vocant cõposita & transacta fuerunt contra Photium, quod etiam ab iis, qui nimis Photio studebant, fictum videri fortasse posset, quibus non

fatis videbatur damnatum restitui, nisi etiã nunquam iure damnatum fuisse mentirẽtur, quare quod ait Ioannes pontifex incurrisse necessitatem transeundi canonem ecclesiasticum in confirmanda electione Photii, profecto significare mihi videtur, commeruisse quidẽ Photium, vt nõ esset patriarcha, indignumque esse ea parte venia, expedire tamen, vt esset patriarcha propter vtilitatem ecclesię, quare cum irritam facit Synodum Hadriani, non significat inique fuisse damnatum Photium, sed velle eum absolueret propter vtilitatem, ac necessitatem ecclesię, similiter cum ait Ioannes nõ fuisse demonstrata crimina Photii, fuisseque surreptũ sedi apostolicę, de eo mihi videtur accipiendum, quod impedire poterat, & debebat, ne esset patriarcha, si verum scilicet fuisset, non esse Photium sanum in fide, de quo accusabatur, quemadmodum enim confirmare potuit, aut debuit Ioannes pontifex Photii patriarchę electionem, nisi Synodum aduersus eum habitam irritã faceret, id est, nisi acta illius de non sana fide Photii per surreptionem conficta esse diceret? quod quidẽ nihil prohibet, quin Synodus ipsa Hadriani rata manserit, quãtum quidem ad reliquos canones eorũ quos sanxit pertinet, quod satis esse debet, vt octaua Synodus numeretur, vt in Constantiensi Synodo numerata est, quod autem Umbertus Leonis noni legatus ad Constantinopolitanos silentio prætermisit, hanc Synodum, neq. eam numerauit, cum in eo anathemate quod pronunciauit aduersus Michaëlem, & Leonem, atque eorum sectatores, dixit, se cum collegis fungi auctoritate pontificis & .7. Synodorum, quod inquam prætermisit octauam, puto in causa fuisse, vt quia cum Græcis agebat, qui illam Synodum negabant, ac e numero Synodorum eximebant, ne suspicarentur nullam vim esse illius anathematis, in quo se diceret auctoritate fungi Synodi, quæ nulla fuisset eorum opinione, de

qua quotannis in ecclesia pronuncient, quæcunque in Ignatium, vel Photium sanctis. viros dicta, vel scripta sunt, anathema. Sed de his satis, redeo ad canones huius Synodi Constantinopolitanæ Ioâne pontifice, quæ ipsa, etiam vt dixi, octava vulgo habetur & nominatur, præter illos ergo quos supra dixi canones, feruntur & alii, quos fateor me nunquam reperisse integros, et si bibliothecas non paucas vestigandi causa versauerim & excuserim, neque coniectura assequi possum, quo consilio, quæue ratione, Græci omiserint. Sunt autem multi ex iis relati inter decreta Gratiani sed intercisi, sanctissimi illi quidem, & rebus Christianis utilissimi, vt ille, tum iustam, tum iniustam sententiam metuedam esse. ii. q. iii. c. non solum. Non esse versandum cum iis, quorum societas sit interdicta, ibidem. c. si quis frater. item alius canon, quemadmodum qui in viam rediit, recipiendus sit, & quomodo affectus, animatusque esse debeat, & de clementia, & humanitate erga eos præstanda, qui resipiscunt. 26. q. 7. c. pro qualitate, cum quatuor deinceps capitibus. Alius canon in obrectatores, maledicos, & monachos seditiosos ac contumeliosos in alios, 90. dist. c. alienus. Item ne quis falsum testimonium tribuat, falsove vllum accerfat. 5. q. 6. c. si quis falsa. Præterea ei qui vxorem habeat non licere monachum fieri, nisi eius vxor approbet, imo eadem etiam, castimoniam votum suscipiat. 17. q. 2. c. si quis coniugatus, & de seruis monasteriorum. 15. dist. cap. Abbati, & si qui alii sunt. denique vt finiam, Concilium Florentinum, nescio qua ratione, octauum quoque numeratur a Græcis, cum nonum sit, vel potius decimum, si illud Ioannis concilium in templo sanctæ Sophiæ habitum inter maiora numeretur. Verum de hoc satis sit admouisse. Hactenus SALVIATE de Sanctæ sextæ Synodi, actis, ac de canonibus apocryphis falso illi assignatis, tum de distinctione, ac notatione multiplicis octauæ,

quæ omnia quia ad vtilitatem fratrum non mediocriter necessaria esse videbantur, libentissime in hunc librum contuli. Superest, vt eosdem fratres obsecrem, vt pro me Deum orent, vt non procedat vnquam ex ore meo sermo malus, aut ex corde meo scriptura mala, sed si quis bonus, aut si qua bona ad edificationem proximorum in laudem gloriæ Dei patris, & hominū filii cum sancto vtriusque Spiritu consubstantiali ante sæcula, & in sæcula. Amen.

F I N I S .

Nn. iii

Prætermiffa, fuis locis a lectore et imprefiore reponēda.

Lib.1. de auctorit. pont. pag.14. ver.16. apostolatu) addatur, ex æquo dati ad confumationem fanctorum in opus ministerii. & in eadem pag. ver.17. primus) addatur, fimiliter dicamus nõs, in epifcopali honore, gradu, potestate, & auctoritate primus. in eadem pag. ver. 18. præfidentia) addatur, quo ad hanc vero Petrum primas honoris, potestatis, & auctori tatis tenere voluit.

Lib.2. pag.79. ver.17. moderatur) ad datur, Hanc fententiam cum pater Chrylostomus teneret, a Synodo Theophili inique damnatus, ad Innocentium pont. tanquam ad arcem. & aram confugit, ab eo per literas petens vt quæ in ea Synodo gesta erant, literis fuis, irrita faceret, vt ex epiftola ipsa, quæ in publico est, perfpici potest.

In eodẽ lib. pa 80. ver.32. Congregare,) addatur, Præterea Theodo ritus vir summo in explanandis sanctis scripturis studio in epiftola, quæ ad Leonem magnum scripsit, reddens rationem, cur post. 26. annos epif copatus sanctissime gesti in iuste in Synodo damnatus ad eum confuge ret, ad eiusque iudicium, & tribunal, vt idẽ dicit, prouocaret, quia, inquit, διὰ πάντας ὑμῖν τὸ πρῶτον ἀρμόδιον, id est, quia per omnia tibi conuenit, vt primas teneas, at quemadmodũ primas teneat, si eas conciliũ prius iuste occupauit, vtitur autem numero multitudinis pro singulari honoris gratia, & quia ea est interdũ sermonis Græci consuetudo. quod Origen. in epist. ad Africanũ annotauit, vt cũ apost. ait, alii scõi sunt. quod de Esãia dixit. deinde sequitur, πολλοὶ γὰρ ὁ ὑμῖν εὐεχόμενος καὶ οὐκ ἔστιν ἡμῶν, id est, multo. n. plus potest, & valet tua ornatissima fedes, & paulo post, vnde Romam propter sedem apostolicam, in qua pontifex residet, appellat δικελευένης παρασημασμένω, id est, præfidentem orbi, at quemadmodum orbi præfideret, si eius auctoritas infra orbem esset, id est infra ecclesiam catholicam? hoc enim significat hoc in loco orbis. postremo scribit idem ex pectaturum se pontificis fententiam, vt rum sit sibi fententiæ alioqui iniu stæ acquiescendum, an non sit, quod si sit, restare, vt nemini hominum de inceptus molestus, extremum tãdem, idemque incorruptum Dei iudicium expectet, an non sentiebat, qui hæc scripsit, non esse in terris maius quam pontificis vllum iudicium?

Lib. vltimo de sexta Synodo, &c. pag. 60. ver. 22. agimus) addatur, non autem pugnat, quod plerique fortasse suspicabuntur ex. 5. Dec. c. Quæsitũ &c de sacerdotibus Græcis, quibus, inquit, legitimo matrimo nio licet vti, &c. id est, quibus licet habere vxores legitimas, esseq. in ma trimonio simul & sacerdotio, quod nostris non licet. in eandem fententiam Dist. 31. c. Aliter, &c. orientalium, inquit, ecclesiarum sacerdotes, diaconi, & subdiaconi matrimonio copulantur, &c. vbi male glos. id est, co pulato vtuntur, cum potius significet licere illic eis, qui mariti sunt, fieri sacerdotes, diaconos & subdiaconos.

Loca, quæ in his libris ex scriptura veterẽ citantur, sunt aut ex Hieronymi, aut ex 70. interpretatio ne, aut ex utraque.

ERRATA Primi lib. de auctorit. Pont.

Pag. 8. ver. 16 Item simplicitas. pag. 34. ver. 24. sit. pag. 36. ver. 17. vi cario Christi. pag. 38. ver. 6. vt. n. nemo inuitus fieri potest episcopus, si cut scriptum est, qui episcopatum desiderat, nõ dixit, qui episcopatu affi citur nolens, & illud amas me, pascue oues meas, non dixit, velis, nolis, pa scc oues, vt inquam nemo potest inuitus fieri episcopus, ita si idem velit recedere, assentiente ecclesia, potest in domino, ac tunc quidẽ, quasi iam vir dormierit, libera manet ecclesia, vt ei &c. pag. 43. ver. 17. discere. pag. 44. ver. 4. vt si is.

Lib. 2. pag. 48. ver. 27. dele &c. pag. 53. ver. 23. moror. pag. 57. ver. 10. vniuersarum. pag. 63. ver. 31. comparata. pag. 67. ver. 1. dele inquã. pag. 68. ver. 30. consilio. pag. 69. ver. 33. consilio concilii. pag. 72. ver. 1. consilium. pag. 75. ver. 27. Consiliorum. pag. 77. ver. 30. ἀίσθησις. pag. 78. dele, deinde ἡ πάντων ἔχοντες τὰ ἐν ἀειμένω παρασημασμένα ἐπὶ λέως. pag. 80. ver. 14. Communiter. pag. 94. ver. 16 sed potestatis. pag. 102. ver. 17. διεργυμένους διὰ. pag. 115. ver. 1 explanationi. pag. 126. ver. 20. qui pag. 130. ver. 1. dele non.

In lib. de residentia past. pag. 8. ver. 31. vnamquamque. pag. 13. ver. 30. de tua. pag. 16. ver. 3. manat. pag. 18. ver. 1. quia cunctis. pag. 33. ver. 20. non habemus. pag. 37. ver. 7. sed aliquando. pag. 41. ver. 11. nos si rogemus. pag. 48. ver. 14. spiritum. pag. 52. ver. 3. siue. pag. 53. ver. 14. Cura &. pag. 56. ver. 27. vt Hippol. pag. 58. ver. 2. & iphis. pag. 75. ver. 33. si pax. pag. 81. ver. 1. munus pascendi.

In lib. de actis. 6. Synodi. pag. 6. ver. 17. confessu. pag. 9. ver. 1. scri ptarum. pag. 19. ver. 24. ex diligentissimis ibidem & antiquæ. pag. 23. ver. 16. Theodorico. pag. 38. ver. 31. nõ incongruenter. pag. 40. ver. 1. hi inquam. ibidẽ præter puncta. 3. ver. suum, dele reliqua omnia ex margi ne. pag. 60. ver. 1. παρασημασμένα. pag. 79. ver. 27. vocare.

